SUFFRAGIUM COLLEGIALE

THEOLOGORUM MAGNÆ BRITANNIÆ DE QUINQUE CONTROversis Remonstrantium ARTICULIS,

Iudicio SYNODICO *prævium.*

Cui adjuncta est

CONCIO DE GRATIA DISCRIMINANTE,

Habita *Cantabrig.* ad Clerum: per ~~Petr.~~ Sam. *Wardum, S. Theol. D. & Profess. Dnæ. Margar. Collegij* Sidneiani Præfectum,

---

Ab Authore jam recognita.

LONDINI,
Excudebat *M. F.* impensis
ROBERTI MILBOURN.
M DC XXXIII.

BIBLIOTHECA·BODLEIANA·

THEOLOGORUM MAGNÆ BRITANNIÆ SENTENTIA,

De Primo Articulo:

Nempe de { *Electione,* / *Reprobatione.*

I. De Electione

Theses { *Orthodoxæ, quas probamus, & confirmamus.* / *Heterodoxæ, quas rejicimus, & refutamus.*

Orthodoxa Thesis I.

Decretum electionis, seu Prædestinationis ad salutem, est efficax voluntas Dei, qua, pro

ſuo beneplacito, ad demonſtrationem ſuæ miſericordiæ, ſalutem hominis lapſi intendit, eique media talia præparavit, quibus electos ad iſtam finem efficaciter & infallibiliter perducere voluit.

Explicatio & Confirmatio.

EFficax decretum] Efficacē voluntatē appellamus hoc decretum electionis: quia reſpicit, non nudum ordinem ad vitam, relinquens hominem ſic ordinatum in manu arbitrij ſui (ſicuti Adam fuit ad beatitudinem ordinatus) ſed reſpicit atque diſcernit ipſum eventum ordinis. Eſt enim voluntas hęc cum potentia Dei conjuncta; Epheſ. 1. 11. Iſai. 14.

Isai. 14. 24. *Dominus exercituum decrevit, & quis poteſt infirmare?* Pſalm. 113. *Omnia quæcunque voluit, fecit.* In quem locum vide Aug. Enchirid. cap. 75. Rom. 8. 30. *Quos prædeſtinavit, glorificavit.* Joh. 6. 39. *Hæc eſt voluntas ejus, qui miſit me, ut nihil perdam ex eo, quod dedit mihi.* Et verſ. 37. *Quicquid dat mihi Pater, veniet ad me.*

Hujus voluntatis cauſam motivam non agnoſcimus aliam, præter merum Dei beneplacitum. Rom. 9. 18. *Cujus vult, miſeretur.* Epheſ. 1. 11. *Prædeſtinati ſecundum propoſitum ejus, qui omnia efficit ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.* Rom. 9. 11. *Nondum natis pueris, cum nihil feciſſent boni aut mali, ut propoſitum Dei ſecundum electionem maneret.*

Agit autem hoc ſpeciali modo Deus cum certis hominibus, ad relucentiam ſuæ miſericordiæ, Rom. 9. 23. *Vt notas faceret divitias gloriæ ſuæ erga vaſa miſericordiæ*; iiſdémque in lapſus ſtatu conſideratis, utpote è maſſa perditionis liberandis. Epheſ. 1. 4. *In ipſo* (Chriſto) *elegit nos*. 1. Tim. 1. 15. *Venit autem Chriſtus peccatores ſalvos facere*.

Denique, ne ab æterna intentione diſcrepet operatio temporalis; qui efficaciter electos ad ſalutem deſtinavit, media illis adminiſtrat prædictæ intentioni conſentanea; hoc eſt, ea, quæ Deus novit fore illis de facto ſalutifera. 2. Tim. 1. 9. *Servavit nos vocatione ſancta*. 2 Theſſ. 2. 13. *Elegit vos Deus ad ſalutem in ſanctificatione Spiritus, & in fide*

fide veritatis; ad quod & vocavit vos per Euangelium noſtrum Epheſ. 1. 4. *Elegit nos ut ſancti ſimus & immaculati.* Matth. 13. 11. *Vobis datum eſt noſſe myſteria regni cœlorum.* Ex quibus Scripturæ oraculis conſtat Deum ex prævio electionis decreto illa omnia, nempe Euangelii cognitionem, vocationem, fidem, juſtificationem, ſanctificationem, perſeverantiam, ſaluti deſtinatæ adipiſcendę ſubordinaſſe.

Ex multis Patrum dictis pauca delibemus. *Cum nos prædeſtinavit, opus ſuum præſcivit, qui nos ſanctos & immaculatos facit.* Aug. de prad. Sanct. cap. 19.

Deo volenti ſalvum facere, nullum hominum reſiſtit arbitrium. Sic enim velle aut nolle, in volentis aut nolentis eſt poteſta- Aug. de Correp. & gratia cap. 14.

te, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.

August. de Grat. chri. cap. 13. Sic docet eos, qui secundum propositum vocati sunt, simul donans, & quod agant scire, & quod sciunt agere.

Prosp. de Vocat. lib. 1. cap. 9. Quamvis magna pars hominum salvantis gratiam aut repellat, aut negligat, in electis tamen, & præscitis, atque ab omnium generalitate discretis, specialis quædam censetur universitas, ut de toto Mundo totus Mundus liberatus videatur.

D. Vocat. lib. 2. cap. 31. Est pars quædam generis humani, quæ merito fidei divinitus inspiratæ ad summam atque æternam salutem specialibus beneficiis provehitur.

THESIS

THESIS II.

CHriſtus eſt caput, & fundamentum Electorum : adeoque omnia beneficia ſalutifera in Decreto Electionis præparata, non niſi propter Chriſtum & in Chriſto, conferuntur electis.

IN perſonarum ſingularium electione æterna Deus, uno eodemque actu, & Chriſtum iiſdem caput aſſignat, ſimulque eos pro beneplacito ſuo membra Chriſti conſtituit: quo ex propoſito Deus eos, etiam ante temporaneam vocationem, ut Chriſto datos, ac in eodem electos, ſibique acceptos, intuetur. Epheſ. 1. 3.

Be-

Benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in Chriſto. verſ. 4. *Elegit nos in ipſo.* ver. 7. *In eo habemus redemptionem per ſanguinem ejus, & remiſſionem peccatorum.* verſ. 13. *In eo obſignati ſumus.* Quicquid electis intenditur ab æterno, quaſi concluſum tenetur in voluntate divina, nec nobis immediatè communicatur, niſi propter Chriſtum, per Chriſtum, & in Chriſto. Coloſſ. 2. 3. *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi.* verſ. 7. *Radicamur, & ſuperædificamur in ipſo.* verſ. 10. *In ipſo completi ſumus.* Denique fons eſt, a quo omnes gratiæ ſalutaris rivuli ad nos emanant, Joan. 1. 16. *De ejus plenitudine omnes accepimus & gratiam pro gratia.* 2. Tim. 1. 9. *Vocamur vocatione ſancta,*

ſecundum

secundum propositum (Dei,) *& gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora secularia.*

Sicut prædestinatus est ille unus, ut caput nostrum esset, ita multi prædestinati sumus, ut membra ejus essemus. *August. de Præd. Sanct. cap. 15.*

Vocat Deus prædestinatos multos filios suos, ut eos faciat membra prædestinati unici Filij sui. *Ibid. cap. 16.*

Post casum hominis non, nisi ad gratiam suam, Deus voluit pertinere, ut homo accedat ad illum. Hanc gratiam posuit in illo, in quo sortem consequuti sumus, prædestinati secundum propositum. *Aug. de Bono Perseu. cap. 7.*

THESIS

THESIS III.

Fides, perſeverantia, omniáque gratiæ dona ad ſalutem perducentia, ſunt fructus & effecta electionis.

AGnoſcimus in nonnullis quædam dona gratię, quę ad communem Dei providentiam ſupernaturalem ſunt reducenda: ſed ea dona, quæ habent infallibilem connexionem cum gloria, & operantur efficaciter ad ejus conſecutionem (ſicut facit fides juſtificans, & perſeverans) ſunt æternæ electionis ipſiſſima effecta. Actor. 13. 48. *Crediderunt, quotquot ordinati ſunt ad vitam æternam.* Tit. 1. 1.

Fides

Fides electorum Dei. 1. Pet. 1. 5. *In Dei potentia custodimur per fidem in salutem.*

Per hanc prædestinationem propositi Dei fideles sunt, qui præordinati sunt ad vitam æternam. Prosp. Epist. ad Aug.

Prædestinatio Dei, quæ in bono est, gratiæ est præparatio; gratia vero est ipsius prædestinationis effectus. Quando ergo promisit Deus Abrahæ in semine ejus fidem gentium, non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit. Promisit enim, quod ipse facturus erat, non quod homines. August. de Prad. Sanct. cap. 10.

Nunquid dixit, Non ex operibus, sed ex credente? Prorsus etiam hoc abstulit homini, ut totum daret Deo. Ibid. cap. 16.

Intelligamus vocationem, qua fiunt electi, non qui eliguntur, quia crediderunt, sed qui eliguntur, Cap. 17.

tur, ut credant. Nam si propterea electi erant quoniam crediderunt, ipsi eum prius utique elegerant, credendo in eum, ut eligi mererentur.

Ibid. *Hæc dona Dei dantur electis, secundum Dei propositum vocatis in quibus est & incipere credere, & in fide ad hujus vitæ terminum perseverare.*

THESIS IV.

ELectionis decretum est definitum, inconditionatum, completum, irrevocabile, immutabile : ita ut electorum numerus nec augeri possit, nec minui.

IN Prædestinatione media salutis non minus absolute decreta sunt, quam salus ipsa. Nam

Nam licet salus in executione pendeat ex conditionato usu mediorum, tamen Dei ad salutem eligentis voluntas non est conditionata, incompleta, aut mutabilis: quia absolute statuit dare electis vim & voluntatem implendi ipsas conditiones, scilicet resipiscentiæ, fidei, obedientiæ, & perseverantiæ. Dei enim prædestinantis decretum non in hanc formam concipitur, Ego Petrum, si contigerit eum credere, & perseverare, eligam ad vitam æternam: sed potius hoc modo, Ego eligo Petrum ad vitam æternam, quam ut infallibiliter consequatur, ego ei dabo fidem perseverantem. 2 Tim. 2. 19. *Firmum stat fundamentum Dei, Deus novit qui sunt sui.* Rom. 9. 11. *Vt secundum electionem*

propositum

propositum Dei maneret. Rom. 11. 28, 29. *Secundum electionem dilecti. Sine pœnitentia enim dona & vocatio Dei.*

Prosp. ad Capit. Gallor. resp.

Hæc filiorum Dei adoptio, hæc gentium plenitudo præscita, & prædestinata in Christo, quæ ab initio usque in finem lapidibus vivis & electis ædificatur. De his lapidibus nihil ejicitur, nihil minuitur, nihil rapitur.

THESES HETERODOXÆ
DE
ELECTIONE,
quas rejicimus.

THESIS I.

DEcretum, quo Deus statuit resipiscentes, & credentes perseveranter,

ranter, in Christo, per Christum, & propter Christum salvare, totum esse & integrum decretum prædestinationis ad salutem.

EST quidem decretum hoc annunciativum salutis omnibus ex æquo & indiscriminatim promulgandum, modumque præscribens, quo electi sunt ad salutem perducēdi. At in hoc non explicatur tota fabrica prædestinationis divinæ in Sacris Scripturis descriptæ, Decretum quippe prædestinationis infert singulares quasdam personas prædestinatas, Deo notas, ac ab alijs ipso electionis decreto segregatas, Mat. 20. 16. *Multi vocati, pauci electi.* Rom. 11. 5. *Reservatio secundum electionem*

nem. 2 Tim. 2. 9. *Deus novit, qui sunt sui.* Supradictum vero decretum neminem de facto prædestinat, neminem segregat, neminem libro Vitæ inscribit; illo stante, poterunt nihilominus omnes mortales prorsus reprobari, poterit nulla in terris manere, nulla omnino fuisse, aut fore, Dei Ecclesia: quo absurdo non modo vacillat decretum illud promissorium, Mat. ult. 20. *Vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi:* sed universa tollitur Scriptura, quæ necessario supponit Ecclesiam, cui, & propter quam consignata est.

Denique, si non esset aliud, quam hoc Prædestinationis Decretum, Christus ipse non statueretur ex ullo decreto divino prævio caput Ecclesiæ certo

certo futurum; utpote cui nulla infallibiliter assignentur membra: nec posset Christus dici infallibiliter ἀρχιτέκτων, ut Rex, nisi ei dentur ex decreto divino positivo subditi certo extituri; cum tamen Scriptura non minus certum ac inconditionatum innuat Dei decretum de Christo capite ac Rege constituendo, quam de eodem incarnando, ac passuro, Ephes. 1. Enarrato redemptionis mysterio, præmissæ Christi passioni, resurrectioni, ascensioni, subjungit statim Apostolus vers. 22. (ut ex eodem decreto emanans) *Et ipsum dedit caput super omnia Ecclesiæ, quæ est corpus ejus.* Luc. 1. 33. *Regni ejus non erit finis.* Actor. 2. 36. *Dominum eum fecit Deus.*

Hæc Prædestinatio Sanctorum nihil *Aug. de bono. Persev. cap. 14.*

nihil aliud est, quam præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicunque liberantur.

THESIS II.

ELectionem singularium personarum peremptoriam, esse ex prævisione & consideratione fidei in Christum, & in eadem fide perseverantiæ, tanquam conditionis in eligendo prærequisitæ.

PRæviſa fides, & perſeverantia in fide, ſequuntur decretum vocationis ſecundū propoſitum. At talis vocatio pendet ab antecedaneo prædeſtinationis decreto, Rom. 8. 30. *Quos prædeſtinavit, hos*

& vocavit. Actor. 13. 48. *Crediderunt, quotquot ordinati erant ad vitam æternam.*

Deus neminem prævidet ut in fide & ſanctitate ad extremum uſque halitum perſeverantem, niſi quem voluntate antecedanea decrevit ita cuſtodire, niſi quem operatione & protectione ſingulari, à prædicta voluntate manante, reapſe per totum vitæ curriculum gubernat, & in via ſalutis conſervat. Joh. 10. 28, 29. *Oves meæ non peribunt in æternum, Nec rapiet eas quiſquam è manu mea. Nec quiſquam poteſt rapere eas è manu Patris mei.* Matth. 24. 24. *Vt in errorem inducantur, ſi fieri poſſet etiam electi.* Cum igitur perſeverantia in fide fundetur in Electione Dei, electio non poteſt eſſe ex prærequiſita

quisita conditione perseverantis fidei.

Porro decretum conferendi gloriam & salutem perseveranter credentibus in exitu hujus vitæ, ut præmium fidei, obedientiæque præstitæ, est actus justitiæ, vel saltem fidelitatis aut veritatis. At juxta Scripturas electio est actus gratuitus, indebitus, gratiosus, actus amoris & misericordiæ specialis, fundatus in mero beneplacito divino. Luc. 12. 32. *Complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Ephes. 1. 11. *Prædestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.*

Pari ratione ab electione excludenda est prævisa fides, quâ prævisa opera. Æquè scilicet dici poterit Deus elegisse

giſſe ſanctos propter conditionem ſanctificationis annexam, ac credentes propter conditionem fidei. Neque enim obſcurum eſt fidem hanc prævisam penitus tranſire in naturam operis: quod apertius conſtat ex adjecta conditione perſeverantiæ, quæ certè nil aliud quam obedientiæ, ſanctimoniæ, ac bonorum operum ſegetem complectitur.

Denique data hac electione prævisionali, ſequitur Chriſtum prius à nobis electum, quam nos à Chriſto, contra illud, Joan. 15. 16. *Non vos me eligiſtis, ſed ego elegi vos.* Quod oraculum ſæpè ab Auguſtino eſt inculcatum.

Electionem, quam ſignificat Dominus, dicens, Non vos me elegiſtis, ſed ego vos elegi, nec ipſa fides præcedit. Non enim quia Auguſt. de prad. San. cap. 19.

credidimus, ſed ut credamus, elegit nos, ne priores eum elegiſſe dicamur.

Prosp. ad Excerp. Genevenſ. Reſp. 1.

Electionem gratiæ nulla humana merita præcedunt: & fides, unde incipiunt omnia merita, donum Dei eſt, ne gratia non ſit gratia, ſi aliquid eam, propter quod tribuitur, antevenit.

THESIS III.

Fidem & perſeverantiam in fide non eſſe fructus, ſive effecta, electionis ad ſalutem.

SI Deus, qui ſolus dator eſt fidei perſeverantis, priuſquam fidem talem det, aut decernat dare, intelligat eam fore ipſo facto recipienti ſalutiferam, tum proculdubio dat

dat quoque illam eo animo & abſoluta intentione ut ſit ſalutifera. At ſic dare eſt dare ex prævia intentione ſervandi infallibiliter: quod idem eſt atque dare ex decreto electionis. Fides igitur perſeverans eſt fructus hujus Decreti, vel gratia ſpecialis in hoc Decreto præparata. Unde Tit. 1. 1. appellatur *fides electorum Dei*. Epheſ. 1. 5. *prædeſtinati ſumus in adoptionem filiorum*. Atqui in actualem ſtatum hujus filiationis admittimur per fidem. Joan. 1. 22. *Dedit iis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus*. Ergo Fides ipſa emergit ex Prædeſtinatione.

THESIS IV.

ELectionem ad ſalutem non eſſe unicam, ſed aliam indefinitam, aliam definitam; atque hanc vel incompletam, revocabilem, mutabilem; vel completam, irrevocabilem, immutabilem.

TAmetſi divinæ electionis varii ſunt actus aſſignabiles ratione variorum objectorum, finis ſcilicet & mediorum, Scriptura tamen nuſquam meminit vel diverſorũ graduum vel ſpecierum electionis; Nam electio eſt, quædam infallibilis ordinatio ſingularium perſonarum ad ſalutem, in mente ac voluntate divina.

divina. Indefinita igitur, quæ fingitur, electio, non eſt vera electio: quia nullam ſingularem perſonam ordinat ad ſalutem: ſed tantum modum perveniendi ad ſalutem promiſcue omnibus oſtendit, & præſcribit.

Præterea, cum electio unico actu perficiatur, ac, ex natura rei, ſit in eorum numero, quæ non per incrementa gradatim ſuccreſcunt, ut ſanctificatio, mortificatio, &c. ſed quæ (ut loquuntur) in indiviſibili conſiſtunt, ut juſtificatio, ſive à peccatis abſolutio; certe fingi non poteſt intentionis aut remiſſionis capax, adeoque complementũ ſucceſſivum nullo modo admittit, ut hodie incompleta, cras completa cenſeatur, Multo minus poterit manca

hæc ſemi-electio pro Electione haberi; quæ nempe non ordinat ad ſalutem infallibiliter, ſed ſolummodo diſponit per qualitatem aut actum contingentem, quæ cum vita æterna connexionem neceſſariam (ex eorum ſententia) non habet.

Denique, quæ revocabilis & mutabilis ſtatuitur, non eſt veri nominis electio. Siquidem electio denotat propoſitum firmum, & conſilium immutabile Dei; electos ad beatitudinem ordinantis. Heb. 6. 17. τὸ ἀμετάθετον τῆς βουλῆς. *Deus oſtendit pollicitationis haredibus immutabilitatem conſilij ſui.*

Aquin: Queſt. diſp. de prædeſt. Art. 1. *Prædeſtinationem duo ſequuntur, ſuppeditatio auxilij ad conſequendum finem, & finis conſecutio.*

Proſp. ad Capit. Gallor. reſp. *Qui diſpenſationes Dei ex*

liberi

liberi arbitrij vult mutabilitate variari, profitetur sibi scrutabilia judicia Dei.

THESIS V.

OBjectum electionis peremptoriæ & completæ esse hominem non nisi in exitu hujus vitæ consideratum.

IN ipso exitu hujus vitæ fidelis consideratur, non ut eligendus, sed ut introducendus in regnum paratum ei ante jacta mundi fundamenta, 2 Tim. 4. 7. *Cursum consummavi. Quod superest, reposita est mihi corona, quam reddet mihi in illa die Dominus justus judex.* Non dixit Apostolus,

quod ſupereſt, jam eliget me Deus ad coronam vitæ æternæ, ſed jam illam reddet.

Porro, ſi electio inciperet ab exitu tantum hujus vitæ, ratio prædeſtinationis ſive electionis, nihil omnino poſſet conferre fidelibus ad curſum ſuum in fide ac pietate conſummandum. At prædeſtinatio tam ad media in via, quam ad finem in vitæ termino ſe extendit, ac per infallibilia media ad præſtitutum ſcopum electos quaſi tranſmittit. Rom. 8. 30. *Quos prædeſtinavit, hos vocavit, quos vocavit hos juſtificavit; quos juſtificavit, hos glorificavit.* Quod ſi objectum electionis completę eſſet homo in extremo vitæ momento poſitus, ea omnia invertenda eſſent hoc modo, Quos vocavit, hos juſtificabit;

quos

quos juſtificavit, hos (in futuro) prædeſtinabit.

Porro 2 Tim. 1. 9. *Vocati ſumus vocatione ſancta ex Dei propoſito & gratia, quæ data eſt nobis in Ieſu Chriſto ante tempora ſecularia.* Propoſitum hoc Dei cum ſanctam vocationem præcedat, eique fundamentum præſternat, hominem certè conſiderat, ut firmæ ſecundum hoc propoſitum electionis ſubjectum, non in vitæ hujus exitu poſitum, ſed ante ipſius vitæ initia, imo ante tempora ſecularia ad completiſſimam electionem conſilio divino deſtinatum. Nec poterit quidem ulla figi electio definita ad gratiam efficacem, ad fidem, ad adoptionem. (Epheſ. 1. 5. &c.) ſi hæc conſiderētur ut pendula: nec præſtituta erit à Deo futura

tura electi perſeverantia, ſed prævisa tantum in homine eligendo. Adeoque hic actus Dei erit tantummodo ſubſequens approbatio, qualis etiam ab homine futurorum neſcio præſtari poterit, non prævia & operoſa electio, qualem omnem electionem eſſe ratio ipſa & vis nominis cogit.

Denique Joan. 10. 16. Gentes nondum vocatas, multo magis nondum in finali perſeverantia conſtitutas, Chriſtus oves ſuas appellat, nempe prævio integræ & cõpletæ electionis ſignaculo ſegregatas.

Aug. contr. Epiſtolas Pilag. lib. 1. cap. 6. Ibid. lib. 2 cap. 7.

Qui facit oves homines, ipſe ad obedientiam pietatis humanas liberat voluntates: ſed quare iſtos homines oves facit, iſtos non facit, apud quem non eſt accep-

tio

tio personarum ? O homo ! quis tu es &c. Vos dicitis, ex futuris operibus, quæ Deus illum facturum esse præsciebat, Iacob fuisse dilectum ; atque ita contradicitis Apostolo dicenti, Non ex operibus : quasi non posset dicere, non ex presentibus, sed ex futuris operibus.

Electi sunt ante Mundi constitutionem ea prædestinatione, in qua Deus sua futura facta præsivit : electi sunt de Mundo ea vocatione, qua Deus id, quod prædestinavit, implevit. Idem de Prad. Sanct. cap. 17.

THESIS VI.

NVllum esse fructum, aut sensum suæ electionis à quoquam in hac vita perceptibilem, nisi conditionatum.

Ad pri-

ADoptio filialis est fructus electionis proprius, genuinus, ac inseparabilis, estque ab electis in hac vita percep. tibilis, hoc ipsorum cordibus revelante spiritu adoptionis. Gal. 4. 6. *Quoniam estis filij, misit Deus Spiritum filij in corda vestra clamantem Abba Pater. Quod si filius, hæres Dei*, Rom. 8. 15. &c. *Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater. Ipse enim Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro, quod sumus filij Dei. &c.* Ephes. 1. 14. *Signati estis spiritu promissionis Sancto, qui est arrhabo hæreditatis nostræ.* Arrhabonem dicit hæreditatis nostræ, certum indicium, nos nunquam exhæredandos, sed tandem istam hæreditatem consequuturos. Rom. 5. 2. *Gloriamur*

sub

ſub ſpe gloriæ Dei, & verſ. 5. *ſpes hæc non confundit* (vel pudefacit.) Huic ſolidæ paci conſcientiæ, gloriationi piorum, & ſpei infuſæ, non ſubeſt falſum; quia & à Deo immittuntur electis, & eo fine eorum animis infiguntur, ut ſint certa immutabilis electionis τεκμήρια.

Fatemur electionem noſtram à priori nobis non eſſe perceptibilem, ſed proprii ejuſdem effectus percipi poſſunt. & ab effectu proprio ad cauſam valet argumentatio. Fatemur inſuper in ipſis Dei filiis certitudinem electionis ſuæ non adeo ſemper firmam & continuam manere, quin ſubinde per tentationes concutiatur, ac ad tempus ſupprimatur, adeo ut non ſolum certitudinis gradus minuatur, ſed

ſed & ipſa electio quoad electorum ſenſum & apprehenſionem, videatur incerta & evanida.

Fatemur denique electos juſtificatos, cum in gravia peccata incidant, iiſdemque adhæreant, non modò hoc electionis ſuæ præſenti guſtu privari ſed etiam magnam concipere formidinem contrarii, nempe iræ divinæ, vindiciſque juſtitiæ. Et merito; cum Spiritus Sanctus non dignetur hanc cæleſtem & ſuavem ſolatii Mannam communicari conſcientiæ contaminatæ, ac in ſordibus ſuis adhuc volutanti, ſed ſolummodo animæ purgatiori, ac fidei, pœnitentiæ, ſanctitatiſque ſtudia exercenti: Animos autem fidelium experrectos, ac è ſordibus reſurgentes puta-

mus

mus denuo refici à Deo, ac ſubinde ſuavi, vitæ æternæ, ante jacta mundi fundamenta illis præparatæ, ac debito tempore infallibiliter conferendæ, ſenſu recreari, Sed de his aptius in 5. Articulo.

Vir fidelis per fidem accepit, id quod eſt incertum alijs. & κρατεῖ τῆς ἐπαγγελίας, ipſo promiſſo potitur. Clemens Alexandr. Stromat.

Vt certum eſſet nos eſſe filios Dei, miſit ſpiritum ſuum in corda noſtra clamantem, Abba Pater. Tertull. ad Mart. lib. 5.

Iuſtus quis eſt, niſi, qui amanti ſe Deo vicem rependit amoris? quod non fit, niſi revelante ſpiritu per fidem homini æternum Dei propoſitum ſuper ſua ſalute futura: quæ ſane revelatio non eſt aliud, quã infuſio gratiæ Spiritualis, per quam dum facta carnis mortificantur, homo ad reg- Bernard. Epiſt. 107.

num præparatur, quod caro & ſanguis non poſsidet, ſimul accipiens in uno ſpiritu & unde ſe præſumat amatum, & unde redamet, ne gratis amatus ſit. (i. e. fruſtra.)

THESIS VII.

PArvulorum ante uſum rationis morientium, nullam eſſe electionem.

DAto uno heterodoxo, cumulantur alia. Hoc ſcilicet ex eo emergit, quod in omni electione fidem, cui ſuperfundetur, prævisam requirant: quæ certe in infantibus prævideri nequit. Nos autem contra demonſtramus hæc eſſe ἀδιάλογα.

Quorum datur in tempore introductio

introductio in vitam æternam, eorum proculdubio ante tempora ſecularia fuit electio ad vitam æternam. Alioqui numerus glorificatorum excederet numerum prædeſtinatorum. Atqui illud reciproce & adæquate ponendũ, *Quos prædeſtinavit, hos glorificavit*: Hos nempe, & non alios; ut habet Auguſt. de Præd. Sanctor. cap. 27.

Scriptura ſupponit, aliquorum parvulorum nomina *ſcripta eſſe in libro vitæ*, eoſque ſiſtendos coram tribunali Dei. Apoc. 20. 12. ac admittendos in novam Hieruſalem. Apoc. 21. 27. Item, Luc. 18. 16. *Talium eſt regnum cælorum.* Porro qui ex mera gratia admittuntur in regnum cœlorum, illi gratuito beneplacito ſuerunt ante electi

cti ad regnum cœlorum. At quotquot ex infantibus cœlum ingrediuntur, illis vita æterna charisma est per Jesum Christum, Rom. 6. 23. Ergo ad illud electi fuerunt in Christo.

Sin hic sit hujus Thesees sensus, Non esse electionem infantium, hoc est, inter infantes unius præ alio, quasi omnes promiscuè salventur, certe nec ullis fundamentis nititur ipsa hypothesis; nec ea concessa, inde Thesis prædicta consequetur; Nam ad rationem electionis divinæ sive ponendã seu tollendam, circunstantia ætatis est quiddam impertinens, & nihil prorsus operatur: Fac igitur omnes infantes servari, ne uno quidem præterito; tamen, quia electio & præteritio respicit

ſpicit maſſam, non ætatem, licet non è numero infantium, tamen è communi maſſa hominum peccatorum ſegregati ſunt: quod ad electionis rationem conſtituendam ſufficit.

Effuderunt ſe divitiæ bonitatis Dei in ipſa quorundam primordia parvulorum, in quibus nec præcedens nec futura eligitur devotio. Proſp. de Biber. Arbitr.

Parvuli nullas adhuc habentes voluntates, nullas proprias actiones, non ſine Dei judicio ſecernuntur: alii aſſumuntur hæredes, & alii tranſeunt debitores. Proſp. Epiſt. ad Aug.

Parvulis quibus vult, etiam non volentibus neque currentibus ſubvenit, quos ante conſtitutionem mundi elegit in Chriſto. Aug. de bono. Perſev. cap. 11.

THESIS

THESIS VIII.

BEneplacitum Dei, quo ex multis conditionibus possibilibus, statuit solam fidem eligere, & acceptare in conditionem communicandæ salutis, esse illud solum vel præcipuum beneplacitū, de quo Scriptura loquitur; & ex quo personæ singulares eliguntur.

Non negamus esse ejusmodi beneplacitum Dei in Euangelio patefactum, quo statuit fidem eligere in conditionem conferendæ salutis: id est quo actualem salutis adeptionem, saltem respectu adul-

adultorum, ex fidei præcedentis conditione ſuſpenſam eſſe voluit. Atque hic lætus eſt ille, ſalutariſque nuncius, univerſis gentibus nomine Chriſti promulgandus. Sed hoc non eſt Decretum ipſum Electionis appropriatè ſumptum, ac tantopere celebratum ab apoſtolo. Nam illud decretū eſt practicum, particulares perſonas ordinans ad ſalutem; non res, vel rerum connexionem in ordine ad ſalutem diſponens; & ad ipſas creaturas terminatur, non ad qualitates. Epheſ. 1.4. *Elegit, nos ſcilicet* homines. Rom. 8. *Quos prædeſtinavit, nempe* homines. Matth. 20. *Pauci electi, nempe* homines; At qualitas ipſa fidei hoc ſenſu non electa dicitur, ſed electis præſcripta & donata, ac ab æterno

no præparata; Nam est una ex primariis *spiritualibus benedictionibus*, quas universas in Christo electi accipiunt. Ephes. 1.

Postremo, non recte affirmatur ex hoc beneplacito, quo fides sola statuitur in conditionem communicandæ salutis, eligi homines singulares; Nam, eligi, est, præteritis aliis, ad vitam æternam destinari: At in prædicto decreto nulla singularis persona eligitur, nulla præteritur; sed omnes pari eademque conditione ad salutem ex æquo vocantur & designantur.

In sua, quæ falli mutarique non potest, præscientia, futura opera disponere, id omnino, nec aliud quicquam, est prædestinare.

Aug. de Bono Persev. cap. 16.

II. DE

II. DE REPROBATIONE.

THESIS ORTHODOXA. I.

REprobatio proprie dicta, ſeu non electio, eſt æternum Dei decretũ, quo ſtatuit, pro liberrima ſua voluntate, quarundam perſonarum in Adamo lapſarum, non uſque eo miſereri, ut eas per Chriſtum efficaciter eripiat è ſtatu miſeriæ, & infallibiliter ad beatitudinem perducat.

REprobationis actus proprios, qua Electioni opponitur, non alios eſſe putamus, quam negationem ejuſdem gloriæ, ejuſdemque gratiæ,

tiæ, quæ in electione filiis Dei præparantur. Præparantur autem illis in decreto electionis gloria, & gratia efficax : & ea intentione, ut sit efficax : id est, ut ad dictam gloriam per talem gratiam infallibiliter perveniat. Hujusmodi gratiam & gloriam reprobatis præparari negamus.

Hanc non-electionem in liberrima Dei voluntate fundari dicimus, Rom. 9. 11. *Vt propositum Dei secundum electionem maneret, non ex operibus sed ex vocante, dictum est, Iacobum dilexi, Esau autem odio habui :* id est non ita dilexi, ut per gratiam ad gloriam certo perducerem. Item vers. 15. &c. *Miserebor, cujus miserebor.* &c. *Cujus vult, miseretur, & quë vult, indurat.* Et ver. 21. *An non habet potestatem figulus luti,*

luti, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam? Joh. 10. 26. *vos non creditis, quia non eſtis ex ovibus meis.*

Porro, gloria cœleſtis nemini debetur, ſed eſt χάρισμα τοῦ θεοῦ. Rom. 6. 23. *donum gratuitum Dei.* Ergo Deus pro liberrima ſua voluntate poteſt, quem vult, eligere ad gloriam, &, quem vult, non eligere, ſeu præterire; idque ſine omni injuſtitiæ, aut inclementiæ aſperſione, cum in gratuitis conferendis nullus ſuperſit locus injuſtitiæ; nec ulla inclementia ſit, nedum crudelitas, negare alicui, quod illi nullo modo debeatur; præſertim ubi maximum in perſona oblata reperitur demeritum, quod non modo beneficia gratuita non expe-

ctat, ſed ſupplicia flagitat juſtiſſima: qualis eſt totus humani generis ſtatus Deo electuro vel relicturo repræſentatus. Quod autem hic de gloriæ donatione dictum; idem plane de gratię efficacis indulgentia dicendum.

Auguſt. de Prad. Sanct. cap. 6. *Ecce miſericordia, & judicium: miſericordia in electione, judicium in eos, qui excæcati ſunt.*

Aug. de Correp. & gratia cap. 13. *Qui non pertinent ad certiſſimum & feliciſſimum numerum Prædeſtinatorum, dimittuntur libero arbitrio.*

Auguſt. de bono perſev. cap. 14. *Qui Dei altiore judicio à perditionis maſſa non ſunt gratiâ Prædeſtinationis diſcreti, ipſis non adhibentur dicta divina vel facta, per quæ poſſent credere, ſi audirent talia, vel viderent.*

THESIS

THESIS II.

HÆc non electio, sive præteritio, non præsupponit in homine præterito aliquam qualitatem vel conditionem aliam, quam quæ in electo reperta est, & quæ toti massæ corruptæ sit communis.

DEus ex misericordia eligens, invenit electum in massa corrupta, eadem miseria obrutum, qua cæteri, & ex sua præsenti conditione morti obnoxium. Rom. 9. 15. *Miserebor cujus miserebor.* Et vers. 23. *Vt ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.*

Verſu autem 22. de reprobatis. *Volens Deus oſtendere iram ſuam, & notam facere potentiam ſuam.* Ita objectis æqualibus propoſitis, Deus, cur quoſdam liberarit, non omnes, cur hos potius, quam illos rationem non petit ex ulla ipſorum inter ſe diſparitate, ſed tantum ex liberrimo ſuo beneplacito de manifeſtanda hinc ditiſſima gloria, illinc juſtiſſima ira ſua, cum facit hos, quales non erant, vaſa miſericordiæ, illos, quales in proximo erant, viſa iræ. Ejus rei typus extat, Ezechiel. 16. ubi impuritas omnium naturalis deſcribitur. verſ. 4. Et Dei ſeligentis benignitas. verſ. 6. *Cum eſſes in ſanguine tuo dixi tibi, vive, dixi, inquam tibi:* reliquis nempe relictis in impuritate ſua.

Qui

Qui liberatur, gratiam diligat, qui non liberatur, debitum agnoſcat. Aug. de Bono perſev. cap. 8.

Quamvis omnes ex eadem maſſa perditionis & damnationis ſecundū duritiem cordis ſui, quantum ad ipſos pertinet, theſaurizent ſibi iram; Deus tamen inde alios per miſericordem bonitatem adducit ad pœnitentiam, alios ſecundum juſtum judicium non adducit. Auguſt. contr. Julianum, Lib. 5. cap. 5.

Ex nequiſſimis in ipſo vitæ exitu gratia invenit quos adoptet cum multi qui minus nocentes videantur, doni hujus alieni ſint. Proſp. de Vocat. gent. lib. 1. cap. 17.

THESIS III.

QVando Deus ſalutiferum Euangelium quibuſdam concedit nationibus, non hoc facit ex conſideratione ſpecialis alicujus dignitatis in iiſdem. Quando negat hoc beneficium aliis, eſt ſemper in illis concomitans indignitas, quibus negatur. Mera tamen voluntas Dei cauſa eſt, cur nolit hiſce eam miſericordiam exhibere, quã aliis non minus indignis pro ſuo beneplacito exhibuit.

DEut. 9. 4. Ne dicas in corde tuo, *Propter juſtiti-*

am

am meam introduxit me Dominus, ut terram hanc poſſiderem, cum propter impietates ſuas iſtæ deletæ ſint nationes, &c. ver. 5. *Et ut compleret verbum ſuum Dominus, quod ſub juramento pollicitus eſt Patribus tuis.*

Pari ratione ſemper invenit Deus ubique cur Euangelium non det prædicandum, vel datum auferat. Quibus autem indulget, non propter ipſorum juſtitiam, vel minorem, quam alibi reperiatur, improbitatem, id largitur quaſi ex congruo, ſed propter beneplacitum ſuum, & libertatem ſpiritus, qui ſpirat ubi vult, & quamdiu vult.

Si hoc voluntatum meritis voluerimus aſcribere, ut malos neglexiſſe gratia, bonos autem elegiſſe videatur, reſiſtet nobis innumerabilium cauſa populorum, Proſp. de vocat. gent. lib. 2. cap. 15.

quibus per tot ſæcuba cæleſtis doctrinæ annunciatio non coruſcavit. Nec meliores fuiſſe eorum poſteros poſſumus dicere, quibus ſcriptum eſt, Gentium populus, qui ſedebat in tenebris, lucem vidit magnam.

THESIS IV.

EOrum quibus illuxit Euangelium, nonnulli, etſi multis gratiæ donis imbuantur, libere tamen ſimulque infallibiliter in ea peccata, permittente Deo, incidunt, in quibus derelicti, atque in eiſdem ad mortem perſeverantes, juſtæ damnationi ſe reddunt obnoxios.

Hos

HOs, etsi non Electos, percipere tamen multa gratiæ divinæ effecta, non negamus; Qualia sunt, quæ commemorantur, Heb. 6. 4. *Illuminatio, gustus doni cœlestis, Verbi & virtutũ futuri sæculi.* Quæ omnia vertunt sibi in gravius exitium; suo scilicet arbitrio relicti, & secundum Decretum electionis in Christo minime fũdati. Rom. 11. 7. *Electio consequuta est, reliqui obcalluerunt.*

Qui recidit à Christo, & alienus à gratia fimit hanc vitam, propter postrema crimina morte afficietur. Quod quia Dei præscientiam nec latuit nec fefellit, sine dubio talẽ nũquã elegit, nunquã prædestinavit, & periturum, nũquãab æterna morte discrevit. Prosp. ad cap. Gall. Resp. 2.

Aliqui gratiam Dei suscipiunt, sed temporales sunt, nec perseverant; Aug. de Cor. & grat. 13.

rant; deserunt, & deseruntur: dimissi enim sunt libero arbitrio.

THESIS V.

DEus neminem damnat, aut damnationi destinat, nisi ex consideratione peccati.

DEus bona gratiæ dispensat pro liberrima sua voluntate. Matth. 20. 15. *An non licet mihi facere, quod lubet, de meo?* mala tamen pœnæ non decernit, nisi pro hominum prævio demerito, Rom. 3. 9. *Iudæi & Græci omnes sub peccato sunt. vers.* 19. *vt omne os obstruatur, & obnoxius fiat totus mundus Deo.* Rom. 2. 9. *Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum.* Porro,

Porro, damnatio eſt actus juſtitiæ punitivæ. Culpam igitur præcedentem ſupponit.

Non-prædeſtinatus perit infidelitate voluntaria, non coacta. Proſp. ad Gal. ſent. 14.

Non caſus ruentium, nec malignitatem iniquorum, neque cupiditates peccantium prædeſtinatio Dei aut excitavit, aut ſuavit, aut impulit, ſed prædeſtinavit judicium ſuum, quo unicuique retributurus eſt prout geſſit. Idem Reſp. 10.

THESES HETERODOXÆ.

THESIS I.

DEcretum, quo Deus ab æterno, & irrevocabiliter ſtatuit, ex lapſo genere humano non niſi impœnitentes & incredulos, in peccato & ſub ira Dei relinque-

linquere, tanquam à Christo alienos, esse totum & integrum decretum Reprobationis.

NEgatur; ob rationes allatas contra Thesin primam heterodoxam de Electione. Hoc etiam decreto non continetur speciális Dei voluntas non miserendi cujus vult, in qua decretum Reprobationis, quatenus opponitur electioni, formaliter continetur. Adde, quod stante hoc decreto, fieri possit, ut nemo prętereatur, sed omnino omnes ad vitam æternam eligantur, & perducantur.

THESIS

THESIS II.

REprobationem à ſalute, non eſſe unicam, ſed aliam indefinitam, vel generalem; aliam definitam, ſeu ſingularem. Eſſeque hanc vel incompletam, revocabilem, mutabilem; vel completam, irrevocabilem, immutabilem.

REprobatio, quæ eſt electionis negatio, ponit immutabilem Dei voluntatem de non-miſeratione talis perſonæ prę teritæ, quoad ipſam donationem vitæ æternæ; Hæc autem Dei voluntas non admittit mutabilitatem ullam. Iſai. 46. 10. *Conſilium meum*

meum ſtabit. Malach. 3. 6. *Ego Deus, non mutor.* Vide etiam quæ ſupra diximus ad Theſin 4. orthodoxam & 4. heterodoxam de Electione.

Proſp. de vocat. gent. lib. 2. cap. 33.

Omnes adoptionis filii, priuſquam mundus conderetur, electi fuerunt; in qua electione quicquid hominum in Chriſto præcognitum non eſt, nulla eidem ratione ſociabitur.

THESIS III.

NEminem poſt lapſum mera Dei voluntate præteritum eſſe; ſed reprobationem omnem ſingularium perſonarum factam eſſe ſecundum conſiderationem antecedaneæ infidelitatis,

tis, & in eadem perſeverantiæ finalis.

DEum ab omni æternitate præſcire præteritos, ut morituros in ſua infidelitate, certum eſt. Sed hanc previſam infidelitatem, eſſe cauſam non electionis falſum eſt: quia omnes ad unum homines prævidentur, ut perſeveraturi in infidelitate, qui ad perſeverantem fidem non eliguntur. Et nemo prævidetur in infidelitate certo moriturus, niſi quem Deus in deſtinatione efficacis gratiæ, decreto antecedaneo præterivit. Joan. 10. 16. *Vos non creditis, quia non eſtis ex ovibus meis.* 1. Johan. 2. 19. *Si fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum.* Apoſtolus præteritionem, ſeu non-electionem, arceſſit à mera

ra Dei voluntate. Ut constat ex locis citatis ad 1. Thesin Orthodoxam de Reprobatione, & ad Thesin 2. heterodoxam de Electione.

Denique si ponamus, neminem reprobari, nisi ob prævisam impœnitentiam & incredulitatem finalem, nihil esset mysterii in decreto Reprobationis, nihil ἐξιχνίαστον & imperveſtigabile; Contra illud Apostoli, Rom. 11. 33. *O altitudo!* &c. Et illud Rom. 9. 20. *Quis es tu, ô homo, qui ex adverso respondes Deo?*

Augusſt. Epiſt. 107. *Scimus gratiam non omnibus hominibus dari, & quibus datur, non solum secundum merita operum non dari, sed nec secundum merita voluntatis eorum quibus datur.*

Ibidem. *Multi non salvantur: Non quod ipsi nolint, sed quia Deus non*

non vult. (Nempe per collationem gratiæ ſpecialis, ſive efficacis.)

THESIS IV.

NEminem, niſi in ipſo mortis articulo, conſiderari a Deo, ut reprobatum, præteritum, ſeu non-electum.

MAniſeſtè falſa. Quia hujus præteritionis conſequentia oſtenduntur erga præteritos etiam in hac vita. Qualia ſunt, quæ in ſacris literis occurrunt: Non vocari ſecundum propoſitum: permitti homines in ſuis viis ambulare; corda dura non emolliri. Quibuſcum Deus hoc modo

modo agit, illos considerat, ut prius præteritos, seu non-electos. Rom. 9. *Deus Esau odio habuit antequam quicquam bovi vel mali fecisset. Quem vult, indurat.* Matth. 13. *Aliquibus non est datum nosse mysteria regni cœlorum.*

EORUN-

EORVNDEM SENTENTIA,

DE ARTICVLO SECVNDO.

THESIS I.

DEus lapsi generis humani miseratus, misit Filium suum, qui seipsum dedit pretium Redemptionis, pro peccatis totius mundi.

INhac Christi oblatione duo consideramus, Modum vocandi homines ad actualem participationem hujus hostię, & fructum ex eadem hostia ad homines diversimode redundantem.

Ad modum quod attiner, nemo mortalium est, qui non possit

possit vere & serio per Ministros Euangelii vocari, ad participationem remissionis peccatorum, & vitæ æternæ per hanc mortem Christi, Actor. 13. 38, 39. *Notum sit vobis renunciari remissionem peccatorum per Christum, &c.* Ioh. 3. 17. *Qui non credit: condemnatus est, quia non credidit in Filium Dei.* Euangelio autem nihil falsum aut simulatum subest, sed quidquid in eo per Ministros offertur aut promittitur hominibus, id eodem modo ab autore Euangelii offertur & promittitur iisdem.

Ad fructum quod attinet, ex Morte Christi, in qua continetur infinitus thesaurus meritorum & benedictionum spiritualium, fructus actualis ad homines redundat eo modo,

do, & ea menſura, iiſque mediis quibus viſum eſt ipſi Deo. Viſum autem eſt Deo, etiam poſt acceptatam hoſtiam, non aliter remiſſionem peccatorum & vitam æternam cuivis actu conferri, quam per fidem in eundem Redemptorem. Atque hic ſe aperit æternum illud & arcanum decretum Electionis, quando illud pretium quod ſolutum eſt pro omnibus, & quod omnibus credentibus certo proficiet ad vitam æternam, non proficit tamen omnibus, quia non omnibus datur, ut hanc gratuiti fœderis conditionem impleant. Sic ergo Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, ut omnes & ſinguli, mediante fide, poſſint virtute ἀπολύτρωσις, hujus remiſſionem peccatorum & vitam æter-

æternam consequi. Sic pro electis mortuus est, ut ex merito mortis ejus secundum æternum Dei beneplacitum specialiter illis destinato, & fidem infallibiliter obtineant, & vitam æternam.

THESIS II.

IN hoc merito Mortis Christi fundatur universale promissum Euangelicum, juxta quod omnes in Christum credentes, remissionem peccatorum & vitam æternam reipsa consequantur.

PRomissum hoc esse universale, & in Christi Morte fundatum, constat ex Actor. 10. 43. *Huic omnes Prophetæ testimonium*

teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen ejus, omnes qui credunt in eum. Et Rom. 3. 24. 45. *Quem propoſuit Deus propitiatorium per fidem in ſanguine ipſius.* Quamvis igitur hoc promiſſum non promulgetur omnibus quolibet loco & tempore, tamen ejuſmodi eſt, ut poſſit omnibus & ſingulis vere annunciari. Natura ſiquidem promiſſionis ſe extendit perpetuo ad humanum genus, quamvis promiſſionis notitia juxta Dei ſpecialem providentiam, modo his, modo illis gentibus contingat. Mar. 16. 15. *Abite in mundum univerſum, & prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, &c.*

THESIS

THESIS III.

IN Eccleſia, ubi juxta promiſſum hoc Euangelii ſalus omnibus offertur, ea eſt adminiſtratio gratiæ, quæ ſufficit ad convincendos omnes impœnitentes & incredulos, quòd ſua culpa voluntaria, & vel neglectu, vel contemptu Euangelii, perierint, & oblatum beneficium amiſerint.

CHriſtus ſua Morte non tantum Euangelicum fœdus fundavit, ſed inſuper impetravit à Patre, ut ubicunque annunciatum fuerit illud fœdus, una etiam ordinarie ea menſu-

mensura gratiæ supernaturalis administretur, quæ sufficiat ad convincendos omnes impœnitentes & incredulos contemptus, vel saltem neglectus, ob non impletam conditionem. Hic duo breviter expedienda:

Quorum
1. Supponitur, aliquam mensuram gratiæ ordinarie in Ministerio Euangelii administrari.
2. Ponitur, illam gratiam sufficere ad convincendos omnes impœnitētes & incredulos vel contemptus, vel saltem neglectus.

Primum patet ex Scriptu-

ris, Esai. 59. ult. *Hoc est fœdus meum cum ijs, dicit Dominus, Spiritus meus qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de corde tuo amodo & usque in sempiternum.* Hinc patet, verbum & Spiritum individuo nexu, ex promissione Dei, in Ministerio Verbi conjungi. Hinc Ministri Novi Testamenti, dicuntur Ministri, non literæ, sed Spiritus, non literę occidentis, sed Spiritus vivificantis, 2. Cor. 3. 6. Et Ministerium Euangelii dicitur διακονία τῦ πνεύματος, ibid. vers. 8. Hinc Euangelium dicitur χάρις σωτήριος, gratia salutifera, Tit. 2. 11. Et λόγος καταλλαγῆς, sermo reconciliationis. 2. Corint. 5. 19. Luc. 10. 9. 11. Christus cum mitteret 70 Discipulos, ut Euangelium prædicarent, jussit illis, ut populis,

pulis, quibus illud annunciarent, dicerent, *Appropinquavit vobis regnum cælorum*; utique quod gratia aliqua supernaturalis illis administrata esset, quibus Euangelium annunciatum est.

Prosp. ad Capit. Gal.

Non omnes vocari ad gratiam, quibus omnibus Euangelium prædicatur, non rectè dicitur, etiamsi sint, qui Euangelio non obaudiant. Alterum probatur ex Joh. 15. 22. *Si non venissem, & loquutus essem ijs, peccatum non haberent, nunc autem non habent, quod prætexant peccato suo.* Ex hoc loco constat, Christum, proponendo Euangelium, etiam illam gratiam internam administrasse, quæ hactenus sufficiebat, ut ex eo quòd non acceptarent vel rejicerent Euangelium, justè coargui possint infidelitatis

Resp. ad obiect. 4.

positivæ. Joh. 3. 19. *Hoc est judicium: quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem.* Justè damnantur homines ob lucem Euangelii repudiatam.

Hebr. 2. 3. *Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem?* Ob neglectam salutem in Euangelio oblatam, justæ pœnæ obnoxij reddimur. Ergo salus in Euangelio offertur.

Hebr. 4. 12. *Vivus est sermo Dei, & efficax, & penetrantior quovis gladio ancipiti, & pertingit usque ad divisionem animæ simul ac Spiritus, compagumque, & medullarum, & dijudicat cogitationes, & conceptus cordis.* Hinc manifestum evadit, talem esse vim & efficaciam verbi, ut in ima usque animi penetralia sese insinuet, ut, quē admo-

admodum vere credentes plane vivificet, ita contumacibus lethale vulnus certo infligat.

Denique Scriptura acerbissimas pœnas interminatur, non recipientibus, negligentibus, spernentibus præconium Euangelij, Matth. 10. 15. *Quicunque non audierit sermones vestros tolerabilius erit terra Sodomorum.* Hebr. 6. 4. *Impossibile est eos, qui semel fuerant illuminati, gustaveruntque bonum Dei Verbum &c. Terra enim bibens imbrem, proferens autem spinas, maledictioni proxima est.*

THESIS IV.

NOn obstante hoc pacto universali de salvandis credentibus, Deus nullo pacto aut promisso tenetur, Euangelium aut gratiam salutiferam omnibus & singulis communicare. Cur autem hisce conferat, præteritis alijs, pendet ex misericordia & libertate divina.

CHristus non alia ratione firmavit hoc pactum, quàm ut hujus pacti communicatio in libera & plenaria Patris potestate maneret. Deus autem dando unum beneficium, non astringitur ad novi beneficij

beneficij donationem. Matt. 20. 15. *An non licet mihi, quod volo, de meo facere?*

Tale pactum, aut promissum non occurrit in Scripturis. Promisit Deus in V. T. ut præconium Euangelii gentibus communicaretur. In N. Test. sublata est maceries, & Apostolis mandatum est, Marc. 16. 15. *Euntes in mundum universum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Sed nusquam promisit, ut universaliter in mundo, uno eodemque tempore aliquando prædicetur. Quin, ut recte Prosper; *eo ipso tempore, quo ad omnes gentes prædicatio Euangelij mittebatur, quædam loca Apostolus adire prohibebatur ab eo, qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Multis utique in illa re-*

Epist. ad Ruff. de vocat. Gen. lib. 2, cap. 3.

tardatis atque aversis, Euangelij mora, sine agnitione veritatis & sine regenerationis consecratione morituris. Dicit Scriptura quod gestũ est; *Transeũtes autẽ* (inquit) *Phrygiam, & Galatiæ regionem, vetiti sunt à Spiritu Sancto loqui verbum in Asia. Cum venissent autem in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam, & non permisit illis Spiritus.* Act. 16. 6. 7 Hæc Prosper.

Porro aperte constat, non obstante hoc pacto universali, quod in V. etiam Test. obtinuit, Deum hujus notitiam Gentibus non revelasse. Psal. 147. 8. *Verbum suum denunciat Iacobo: Non fecit taliter omni nationi; ideoque jura ista non noverunt.* Actor. 14. 16. *Deus præteritis ætatibus sivit omnes gentes ambulare in vijs suis.* Quid quod nostris temporibus,

bus, vix ſexta pars orbis habitabilis Chriſto nomen dederit? Quod ſi de facto Deus Euangelij præconium omnibus & ſingulis annunciare nunquam dignatus ſit, utique nec ad hoc tenetur. Facit enim quicquid tenetur facere. Idem ſane pronunciandum eſt de gratia ſalutifera. Nullibi in S. Literis mentio occurrit promiſſionis, qua Deus ſeſe obſtrinxit, ad gratiam illam omnibus & ſingulis communicandum. Imo Scriptura meminit Dei in miſerendo libertatis, Rom. 9. 13. *Cujus vult, miſeretur*; non obſtante hoc pacto in ſanguine Chriſti fundato. Ac quanquam Deus multis externis beneficiis afficiat omnes homines, etiam ingratiſſimos, qui extra pomœria Eccleſiæ

degunt; & beneficiis ſalutaribus egeant omnes, utpote peccatores; nemini tamen ad illa, vel iſta danda obligatur.

Denique, ex Sacris Literis evincitur, nonnullos judicari & damnari ob peccata contra ſolam legem Naturæ commiſſa, Rom. 2. 14, 15. ut qui excuſantur ob non impletam legem fidei ignorantia plane invincibili, quæ excuſatio locum habere nequit, ubi Deus promulgat legem, & homines obedire tenentur.

THESIS

THESIS V.

EX ſpeciali amore & intentione tum Dei Patris, tum Chriſti, mortuus eſt Chriſtus pro electis, ut illis remiſsionem peccatorum & ſalutem æternam reipſa obtineret, & infallibiliter conferret.

HÆc Propoſitio aſſerit, electos infallibiliter habituros remiſſionem peccatorum & vitam æternam ex morte Chriſti, idque ex ſpeciali amore & intentione Patris & Chriſti. Probatur hoc ex ijs Scripturis, quæ virtutem Mortis Chriſti, quoad electos demonſtrant. Johan. 11. 51.

quod

quod Ieſus moriturus erat progẽte, & non tantum pro gente, ſed ut Filios Dei, qui diſperſi erant, congregaret in unum. Epheſ. 5. 25. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſemetipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret, &c.* quibus verbis intentio Chriſti ſeſe offerentis exponitur, quoad infallibilem ſalutis collationem.

THESIS VI.

EX hoc eodem amore, per & propter meritum & interceſſionem Chriſti, dantur iiſdem Electis fides & perſeverantia, cæteraque omnia, per quæ conditio fœderis impletur, & beneficium promiſſum,

missum, id est, vita æterna, infallibiliter obtinetur.

HÆc propositio asserit, ex morte & intercessione Christi, manare ad electos ea gratiæ dona, per quæ efficaciter perducantur ad vitam æternam, Rom. 8. 32, 33, 34. *Qui etiam proprio Filio non pepercit, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit? &c.* Heb. 8. 10. *Dabo leges meas in mentem eorum, & in corde eorum superscribam eas.* Nam gratia illa quæ datur electis propter mortem Christi, est gratia redemptionis efficacis: gratiam autem redemptionis intelligimus, non qua possunt homines redimi si velint, sed qua misericorditer revera redimuntur, quia Deus vult.

THESES

THESES HETERODOXÆ. QVAS REIICIMVS.

THESIS I.

PRima : Posita Christi Morte, non esse aliam Dei intentionem de ullis particularibus personis salvandis, nisi conditionatā, & ex contingenti fidei humanæ actu suspensam.

1. THeses illæ, rationesque de primo Articulo præmissæ, in quibus certarum personarum electio stabilitur, ac incompleta electio refellitur; item, ubi salutis media certa

certa ex electionis decreto manantia ſtatuuntur, denique in hoc ſecundo Articulo Theſes quinta, & ſexta : in quibus probatur, Chriſtum ea intentione mortuum, ut electis beneficia ſpecialia conferret, huic Antitheſi refutandæ firmamenta ſubminiſtrant.

2. Rationes omnes Theologicæ, ex Scripturis, Fideique analogia petitæ, quibus Chriſti incarnatio, humiliatio, vel exaltatio probatur vel confirmatur, eo ſpectant, ut demonſtretur divina expreſſa intentio de fructuoſo hujus tanti myſterii effectu, non conditionaliter producendo (nempe ſi homines, cum æque nolle poſſint, velintut hic fructus inde enaſcatur) ſed infruſtrabiliter efficiendo, potentia divina id operante.

Præterea,

Præterea, domus Dei ex hominibus conſtruenda non ſat habet firmitatis, ſi ab hominibus conſtruatur. Ipſâ Dei manu erigenda eſt hæc fabrica, Matth. 16. 18. *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* 1. Cor. 3. 9. *Dei agricultura eſtis, Dei ædificatio eſtis.* Epheſ. 2. 20. *Superſtructi ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, Chriſto exiſtente ſummo angulari lapide: in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit; in quo & vos coædificamini, &c.* Epheſ. 4. 16. *ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem junctûram ſubminiſtrationis ſecundum operationem, &c.* Ergo ſibi ædificans Eccleſiam Deus, ſua manu lapides parat, dedolat, coagmentat; non autem expectat, ut ipſi ſe contingenter

ter aptent, ac fundamento applicent.

3. Eâdem ſpecialis decreti certitudine præſtituitur à Deo ſalus Eccleſiæ per Chriſtum efficaciter conſummanda, qua Chriſtus ipſe mittitur. Eadem Dei vox, quæ Chriſtum exhibendum primo promiſerat, ſimul ejuſdem effectum inconditionatum promiſſo abſoluto obſignat, Gen. 3. 15. *ſemen mulieris conteret caput ſerpentis.* At Serpens non conteritur niſi per aliquorum certiſſimam liberationem ex captivitate Satanę, & tranſlationem in Regnum Filij Dei, Eſai. 53. 10. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum.* Heb. 2. 13. *Ecce ego, & Filij, quos mihi dedit Deus.* Ergo decretum Dei, de longævo ſemine

in

in Christi familiam adoptando, inseparabiliter annectitur Decreto de anima Christi pro peccatis ponenda. Et, Christo sese in victimam offerenti, dantur Filij, non a seipsis, sed à Deo, qui nempe ipsis dedit Christum.

4. Si fructus Christi Passionis sit tantum conditionatus, tum non certius est beneficium ex secundo Adamo, quam fuisset ex primo. Hinc enim proposita salus sub conditione *(hoc fac, & vives)* quam conditionem ut posset præstare si vellet, auxilium est ei à Deo præstitum, non autem ut actu ipso infallibiliter præstaret. In Novo autem Fœdere gratia Christi morte impetrata, non modo nobis salus oblata sub conditione *(crede, & salvus eris)* sed, ut actu

actu ipso credamus, Deus efficit per Spiritum suum. Heb. 8. 6. *Melioris Testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est.* Quænam autem sit illa promissio, constat vers. 10. *Dabo leges meas in mentem eorum, & in corde eorum superscribam eas.*

THESIS II.

HETERODOXA.

PRoprium & integrum finem Mortis Christi fuisse, ut Deo Patri acquireret jus & potestatem servandi homines, quibus vellet conditionibus.

1. Si

1. SI nil aliud nobis acquisitum ex Morte Christi, quam ut aditus pateat ad novum quodlibet fœdus cum genere humano percutiendũ, tum non sumus liberati à jugo legis; quia adhuc libertum erit Deo Patri, etiam post persolutã acceptatamq; hanc victimam, legis præstandæ conditionem denuo nobis imponere. At Christus ad tollendam legis maledictionem pro nobis, hoc est, nostra vice, semel factus est κάτρα. Gal. 3. 13. Nos itaq; non possumus ratione legis non præstitæ fieri denuo legis rei, & ἀντεγκλήτους.

2. Christus morte sua nobis promeritus est ipsam personarum nostrarum reconciliationem cum Deo, gratiamq; nobis reipsa cõmunicandam. Joh. 1.

Joh. 1. 16. *De plenitudine ejus omnes accepimus.* Alioqui ſecundus Adam, Dominus de cœlo, minus profuiſſet ſuis, quam ſuis obfuit primus Adam, de terra terreſtris; Et quoad imputationem, Si Chriſtus pro nobis pœnas non ſubierit; Et quoad tranſfuſionem, Si a Chriſto capite nulla tradux gratia in mẽbra derivetur.

THESIS III

HETERODOXA.

CHriſti mortem impetraſſe omnibus hominibus reſtitutionem in ſtatum gratiæ & ſalutis.

RAtio 1. Salus eſt res promiſſa in Novo Fœdere, nec

nec promittitur nisi sub conditione Fidei (quicunque credit, salvabitur) [illegible] itaque non omnes homines eandem habent in Christo, sub cujus sola conditione salus promittitur, certum est, Mortem Christi, non omnibus, sed solis fidelibus impetrasse restitutionem in statum gratiæ, & salutis: quod abunde probat illud Apostoli, Rom. 5. 1. *Justificati igitur pacem habemus cum Deo.* Per (pacem) illic intelligimus, nostri, qui prius Deo inimici eramus, cum Deo reconciliationem, & restitutionem in sinum gratiæ: Idemque apertè evincunt omnia illa loca, quæ probant, Nos sola fide in Christū justificari, seu haberi pro justis à Deo. Rom. 3. 4. Gal. 2. 16.

Ratio 2. Extra fidem in Christum,

Christum, manet homo in condemnatione. Joh. 3. 18. *Non videbit vitam, sed ira Dei manet super illum.* Joh. 3. 36. Qui autem restituti sunt in sinum gratiæ, ij singuli remissionem peccatorum habent, quæ homines beatos facit. Psal. 32. Nec manent in condemnatione, neque super ipsis manet ira Dei. Qui igitur fide carent, ij per mortem Christi, in statum gratiæ & salutis non restituuntur; cum per nomen Christi nemo remissionem peccatorum consequatur, nisi qui in ipsum credat. Actor. 10. 43.

Ratio 3. Si omnibus Christi mors impetravit restitutionem, tum restituti sunt, vel cum ab æterno destinatus esset in mortem, quod est falsum; sic enim nemo nasceretur

tur Filius iræ, nec peccatum originis quicquam hominibus obesset, quod ex hac sententia fuit illis ab æterno remissum: nec opus esset infantibus, aut alijs, lavacro regenerationis, quod est contra assertionem Christi, Joh. 3. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei:* vel restituti sunt in primorum parentum persona, cum promulgaretur promissio de semine mulieris, quod est falsum: ipsi enim protoplastæ non sunt restituti in statum gratiæ, nisi per fidem in Christum; ac proinde nec eorum posteri. Non omnes ergo, sive fideles, sive infideles: vel cum Christus ipse in cruce mortẽ oppeteret: quod est falsum. Sic enim nemo ante illud momentum esset restitutus,

reſtitutus, quod nemo concedit; neq; omnes ab illo tempore ſunt reſtituti, quia proculdubio adverſus quoſdam Chriſti accuſatores, condemnatores, crucifixores, deriſores ira Dei iſthoc eodem momento,& poſtea flagraverit.

EORVNDEM SENTENTIA, DE III. & IV. ARTICVLIS.

Primo de viribus arbitrij in homine lapſo.

THESIS NOSTRA I.

Voluntas hominis lapſi nudata eſt donis ſupernaturalibus, & ſalu-

E *taribus:*

taribus; quibus in innocentiæ ſtatu dotata fuit: ac proinde ad actus ſpirituales nihil jam valet abſque viribus gratiæ.

FUiſſe donis eximiis dotatam, inde conſtat, quia homo factus eſt ad imaginem Dei. Imago autem Dei in principe animi facultate proculdubio principem locum obtinuit. Qualia vero hæc dona fuerint, quibus in creatione ornata eſt voluntas humana, patet ex ijs, quæ in hujus imaginis redintegratione reſtituuntur, Epheſ. 4. 24. *Induite novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate veritatis.* Hanc inſuper juſtitiam, ſanctimoniam & rectitudi-

&itudinem voluntatis per lapsum esse amissam clarum est ex secunda hac ejusdem per Dei gratiam in Christo recuperatæ acceptione. Induendum, scilicet, nobis de novo, quod in Adamo denudato exuimus.

Hujusmodi autem voluntatem nostram nihil valere ad actus supernaturales tota Scriptura clamat. Joh. 15.15: *Sine me nihil potestis facere.* Rom. 5. 6. *Cum adhuc nullis essemus viribus.* 2 Cor. 3. 5. *Non sumus idonei ex nobis ipsis ad cogitandum quic quam, &c.*

Hinc illud Augustini, *Quid boni operari potest perditus, nisi in quantum à perditione liberatus?* Et illud, *Voluntas in tantum libera, in quantum liberata.* *Enchirid. cap. 30.*

THESIS II.

LApsæ voluntati inest non tantum peccandi possibilitas, sed etiam præceps ad peccandum inclinatio.

ISthæc possibilitas voluntati etiam integræ insuit, prout nimis constat ex eventu. Post lapsum autem, ac ex ipso lapsu, superaddita peccandi sitis avida. Job 15. 16. *Bibit, quasi aquam, iniquitatem*; complacentia, & gaudium in peccatis, Proverb. 2. 14. *Lætantur faciendo malum, exultant in pessimis perversitatibus*; studium peccati, Gen. 6. 5. *Cuncta cogitatio cordis intenta ad malum omni tempore*; Mancipatio

tio ſub peccato, Rom. 6. 17. *Fuiſtis ſervi peccati.* Denique mors in peccato, Epheſ. 2. 2. *Vos cum eſſetis mortui in delictis & peccatis.*

Nec aliter ſe poteſt res habere in homine corrupto, nondum per divinam gratiam reſtaurato: cum ea ſit natura voluntatis, ut nuda manere nequeat, ſed ab uno, cui adhæſerat, objecto excidens, aliud quærat, quod cupide amplectatur. Ideo per Spontaneam defectionem habitualiter averſa à Deo Creatore, in creaturam effreni impetu fertur, ac cum ea libidinoſe ac turpiter fornicatur, ſemper avida fruendi utendis, ac vetita moliendi, & patrandi. Quod mirum ergo ſi talis voluntas ſit Diaboli mancipium. Luc. 11. 21. *Cum fortis armatus*

cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea, quæ poſſidet.

Auguſt. Retract. l. 15. *Voluntas ſine charitate eſt tota vitioſa cupiditas.*

De antecedaneis ad converſionem.

THESIS I.

SVnt quædam opera externa, ab hominibus ordinarie requiſita, priuſquam ad ſtatum regenerationis, aut converſionis perducantur, quæ ab iiſdem quandoque liberè fieri, quandoque liberè omitti ſolent; ut adire Eccleſiam, audire verbi præconium, & id genus alia.

Requi-

REquiri talia manifeſtum eſt, Rom. 10. 14. *Quomodo credent ei, quem non audierunt?* Eſſe autem in noſtra poteſtate & ratio dictat; cum penes unumquemque ſit regere ſuam loco-motivam; & experientia probat, cum videamus in externis homines pro arbitrio hoc, vel illud agere, vel utrumque omittere; poſſunt itaque domi ſedere, cum Eccleſia adeunda eſt, poſſunt aures obturare, voce Euangelici præconis ſonante. Marc. 6. 20. *Herodes Ioannem audiebat libenter.* Actor. 13. 46. *Iudæi recuſant audire Euangelium*, Pſal. 58. 5. *Impii obturant aures ſuas, ut ſurdæ aſpides.*

I. I.

SVnt quædam effecta interna ad conversionem sive regenerationē prævia, quæ virtute verbi, Spirituſque, in nondum juſtificatorum cordibus excitantur; qualia ſunt notitia voluntatis divinæ, ſenſus peccati, timor pœnæ, cogitatio de liberatione, ſpes aliqua veniæ.

AD ſtatum juſtificationis, in quo pacem habemus apud Deum per D. N. Jeſum Chriſtum, non ſolet gratia divina homines perducere per ſubitum enthuſiaſmum, ſed

ſed multis præviis actionibus miniſterio Verbi ſubactos, & præparatos. Hoc videre licet in illis, qui, audita Petri concione, peccati onus ſentiunt, timent, dolent, liberationem deſiderant, ſpem aliquam veniæ concipiunt: quę omnia ex illis verbis colligi poſſunt, Actor. 2. 37. *Quum hæc audiviſſent, compuncti ſunt corde ſuo, & dixerunt ad Petrum, & reliquos Apoſtolos, Viri, fratres, quid faciemus?* Hoc ipſa rei natura requirit. Nam ſicuti in generatione hominis naturali multæ ſunt præviæ diſpoſitiones, quæ formæ inductionem præcedunt, ita & in ſpirituali per multas antecedaneas gratiæ actiones ad ſpiritualem nativitatem pervenitur.

Hoc denique apparet ex

instrumentis, quibus utitur Deus ad homines regenerandos: utitur enim ministerio hominum, & instrumento verbi, 1 Cor. 4. 15. *Per Euangelium ego vos genui.* Quod si Deus immediatè vellet hominem impium regenerare, & justificare, nulla cognitione, nullo dolore, nullo desiderio, nulla veniæ spe præparatum, nec hominum ministerio, nec verbo prædicato hanc ad rem opus esset, nec Ministris verbum Dei recte secantibus cura incumberet, apte prudenterque auditorum conscientias primo legis terroribus sauciandi, deinde Euangelicis promissis erigendi, ac eosdem hortandi ad pœnitentiam fidemque à Deo per preces & lachrymas petendam.

III.

III.

QVos Deus, mediante Verbo, per Spiritum ſuum hunc in modum afficit, eos ad fidem, converſionemque vere, & ſerio vocat, & invitat.

EX natura beneficij oblati, & verbo Dei apertiſſimo judicandum eſt de illis gratiæ auxiliis, quæ hominibus ſuppeditantur, non autem ex abuſu, aut eventu. Cum igitur Euangelium ex ſua natura vocet homines ad pœnitentiam & ſalutem, cum gratiæ divinæ excitamenta eodem tendant, nihil hic ſimulate à Deo agi putandum eſt. Hoc probant feriæ illæ, patheticæque

que rogationes. 2 Cor. 5. 20. *Obsecramus Christi nomine, reconciliemini Deo.* Hortationes, 2 Cor. 6. 1. *Hortamur, ne frustra gratiam Dei recipiatis.* Expostulationes, Gal. 1. 6. *Miror, quod sic tamcito transferimini ab eo, qui vocavit vos in gratiam Christi.* Promissiones, Apoc. 3. 20. *Ecce sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit ostium, ingrediar ad eum, &c.* Quod si non omnes, quos hoc verbi Spirituſque ſui dono dignatur Deus, ad converſionem ſeriam ſerio invitaret, certè & Deus nonnullos, quos ipſe Filii ſui nomine vocat, falleret; & promiſſionum Euangelicarum nuncii à vocatis falsò perhibiti teſtimonii accuſari poſſent; & qui ad converſionem vocati parere negligunt,

ligunt, redderentur excuſabiliores. Neque enim ea fingi poteſt homines reddere inexcuſabiles per Verbum & Spiritum vocatio, quæ eo tantum fine exhibetur, ut reddat inexcuſabiles.

IV.

QVos ita affecit, Deus non deſerit, nec deſiſtit in vera ad converſionem via promovere, priuſquam ab illis, per neglectionem voluntariam, aut hujus gratiæ initialis repulſam, deſeratur.

TAlentum gratiæ à Deo ſemel conceſſum nemini eripitur, niſi qui prius ſuo vitio

tio illud ſepelivit, Matth. 25. 28. Hinc eſt, quod nos in Scripturis paſſim monemur, ne Spiritui reſiſtamus, ne Spiritum extinguamus, ne gratiam Dei fruſtra recipiamus, ne deficiamus à Deo. Heb. 3. 7. Imo divinæ derelictionis ea apertiſſimè deſignatur ratio, quod Deus ab hominibus priùs deſeratur. Proverb. 1. 24. *Quia vocavi & renuiſtis; ego quoque in interitu veſtro ridebo.* 2 Chron. 24. 20. *Dereliquiſtis Iehovam, ut relinqueret vos.* At nuſquam in Scripturis vel leviſſime innuitur, Deum ſolere, aut velle unquam abſque prævia hominis culpa eripere cuiquam gratiæ excitantis auxilium, aut ullum ſubſidium, quod ſemel contulſt, ad converſionē hominis ordinatum.

Sic docuere Patres Orthodoxi,

doxi, quibus cum Pelagianis negotium fuit.

Auguſtin. vel Proſper, ad Artic. falſ. ad 7. *Dei eſt voluntas, ut in bona voluntate maneatur; qui & priuſquam deſeratur, neminem deſerit, & multos deſertores ſæpe convertit.*

V.

HI præcedanei effectus, virtute Verbi, Spirituſque in hominum mentibus producti, rebellis voluntatis vitio, ſuffocari, ac penitus extingui poſſunt, & in multis ſolent; adeo ut nonnulli, in quorum mentibus virtute Verbi Spirituſque, impreſſa fuit aliqualis notitia

tia veritatis divinæ, aliqualis dolor de peccatis ſuis, aliquod deſiderium, & aliqua cura liberationis, mutentur planè in contrarium, veritatem rejiciant & odio habeant, concupiſcentiis ſuis ſe tradant, in peccatis occalleant, & abſque deſiderio vel cura liberationis in iiſdem computreſcant.

MAtth. 13. 19. *Venit malus, & rapit, quod ſeminatum eſt in corde ejus.* 2 Pet. 2. 21. *Melius erat non cognoſcere viam juſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum converti. Canis reverſus ad vomitum.* Heb 6. 4. *Qui ſemel illuminati, guſtaverunt donum cœleſte, participes facti*

facti Spiritus Sancti, guſtaverũt bonũ Dei verbum, virtutesque ſæculi venturi, & prolapſi ſunt, eos rurſus revocari impoſſibile, &c.

Proſper. *Multi cito intellectus lumen accipiunt, ipſa autem intelligentia non in omnibus eundem habet vigorem, aut ſimilem facultatem; & plurimi cum & fide & intellectu videantur ornati, laborant tamen indigentia charitatis, & his, quæ fide & intellectu vident, nequeunt inhærere, quoniam perſeverari in eo non poteſt, quod non toto corde diligitur.* De vocat. lib. 2. cap. 2.

VI.

VI.

NE electi quidem ipsi in hisce præcedaneis ad regenerationem actibus ita se gerunt unquam, quin propter negligentiam & resistentiam suam possint justè à Deo deseri & derelinqui: sed ea est erga eos specialis Dei misericordia, ut quamvis hanc gratiam excitantem & illuminantem aut repellant aliquamdiu, aut suffocent, eos tamen iterum, iterumque urgeat Deus, nec desistat promovere, donec eosdem gratiæ suæ prorsus subjugave-

jugaverit, ac in ſtatu filiorum regeneratorum collocaverit.

IOh. 6.37. *Quicquid dat mihi Pater, veniet ad me, & eum, qui ad me venit, non ejiciam foras.* Hierem. 14. 7. *Quandoquidem iniquitates noſtræ levantur contra nos, Domine fac propter nomen tuum, quoniam multæ ſunt averſiones noſtræ.* & 32. 39. *Dabo eis cor unum, & viam unam, ut timeant me univerſis diebus.* Phil. 1.6. *Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet uſque in diem Chriſti Ieſu.* Quod ſi ita non pergeret Deus etiam reclinantes & refugientes proſequi, nulla vocatio redderetur efficax, nulla emergeret filialis adoptio, ipſaque in Dei beneplacito fundata electio

ctio fruſtraretur.

Aug. de bono perſe. *Poſt caſum hominis non niſi ad gratiam ſuam Deus voluit pertivere, ut homo accedat ad eum, neque niſi ad gratiam ſuam voluit pertinere, ut homo non recedat ab eo.*

VII.

NOn electos in hiſce præcedaneis ad regenerationem actibus, divino Spiritui, gratiæque reſiſtentes, ejuſdem initialia effecta in ſeipſis liberi ſui arbitrii vitio extinguentes, Deus, quandocunque ipſi viſum fuerit, juſtè derelinquit: quos ſua culpa derelictos, eodem demerito manere induratos,

ratos, & inconverſos vere pronunciamus.

PUtamus extra omnem dubitationis aleam poſitum eſſe, neminem mortalium ita ſe gerere erga Deum, quin mereatur gratiæ collatæ ſubductionem, vel omittendo aliquid, quod facere debuit, vel faciendo, quod non debuit, quo poſito, clarum eſt, Deum ſine ulla injuſtitia, aut crudelitate poſſe talibus hominibus gratiam oblatam ſubtrahere, eoſque ſui cordis duritie relinquere, Rom. 9. 18. *Cujus vult miſeretur, & quem vult indurat.*

Deus etiam hoc nemini debet, ut illum gratiæ ſuæ illuminanti, & excitanti reſiſtentem, propriiſque cupiditatibus inſervientem emolliat

per

per illam ſpecialem gratiam, cui nullum cor durum reſiſtit. Rom. 11. 35. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Porro, qui hunc in modum derelinquitur, ſua culpa, inconverſus perit. Joan. 5. 34. 40. *Dico vobis ut ſervemini, & non vultis venire ad me, ut vitam habeatis.* Actor. 28. 27. *Incraſſatum eſt cor populi hujus, &c. ne convertantur, & ſanem eos.*

De

De Conversione, qua denotat immediatum opus Dei hominem regenerantis.

I.

DEus animos electorum suorum prædictis gratiæ suæ actibus excitatos, & præparatos intima quadam & mirabili operatione regenerat, & quasi de novo creat, infundendo Spiritum vivificantem, & omnes animæ facultates novis qualitatibus imbuendo.

Per

PEr regenerationem hic intelligimus, non quemvis actum Spiritus Sancti ad regenerationem prævium, vel tendentem, ſed illum actum, quo poſito, ſtatim rectè affirmetur, Hic homo jam natus eſt ex Deo.

Hæc ſpiritualis nativitas præſupponit animum excitatum per Spiritum, organo verbi divini utentem. Unde & renati dicimur ex incorrupto ſemine verbi, 1 Pet. 1. 23. Quod obſervandum eſt, ne quis Enthuſiaſticam regenerationem deſidioſus expectet, abſque ulla aut Dei, aut verbi, aut ſui actione prævia.

Porro ſtatuimus, Spiritum regenerantem in intima animæ penetralia illabi, & refingere ipſum animum, ejuſdem vitioſas inclinationes ſanando,

do, ac indendo illi vires, & principium formale ad actus ſpirituales & ſalutiferos eliciendos. Epheſ. 2. 10. *Ipſius ſumus ποίημα, creati in Chriſto Ieſu ad opera bona.* Ezech. 39. 26. *Auferam cor lapideum, & dabo vobis cor carneum.* Ab hoc Dei opere promanant vires ad actus ſpirituales, & ſalutiferos exercendos.

Ad opus credendi, 1 Joh. 5. 1. *Quiſquis credit, ex Deo natus eſt.* Ad opus diligendi, 1 Joh. 4. 7. *Quiſquis diligit, ex Deo natus eſt.* Ad omnia denique pietatis opera, Joh. 15. *Sine me nihil poteſtis facere.*

Proſper dicit, *gratiam ipſam eſſe bonarum in nobis creatricem.* *De libert. arbitr.* Scholæ Doctores hanc tam claram veritatem non diffitentur.

Thom. Aquin. hanc gratiam, *Quæſt. diſp. de virt. Artic.* 20.

am, de qua loquimur, asserit, *dare quoddam esse spirituale ipsi animæ, esse quandam supernaturalem participationem divinæ naturæ, habere se ad animam, sicut sanitatem ad corpus.*

II.

AD hoc ipsum opus regenerationis habet se homo passivè: neq; est in voluntate potestatis humanæ impedire Deum sic immediatè regenerantem.

IOh. 1. 13. *Non ex sanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo geniti sunt.* Nam si in creatione naturali verum sit, Deus fecit nos, & non ipsi nos, in

in recreatione etiam ſpirituali idem valebit multo magis, Jerem. 13. 23. *Si mutare non poteſt Æthiops pellem ſuam*, tum nec homo peccato maculatus corrigere innatam naturæ ſuæ vitioſitatem. In voluntate ſcil. lapſa eſt potentia paſſiva ad eſſe hoc ſupernaturale extrinſecus adveniens recipiendum, non autem activa ad idem vel per ſe, vel cum alio producendum. Jerem. 17. 14. *Sana me Domine, & ſanabor, &c.*

In vivificandis hominibus Deus nullum initium humanæ voluntatis expectat, ſed ipſam voluntatem bonam faciendo vivificat. Epiſt. Syn. Epiſcoporũ Affr.

Quid agit liberum arbitrium? Breviter reſpondeo. Salvatur. Opus hoc ſine duobus effici non poteſt, uno, à quo fit, altero, Bernard. de liber. arbit. & grat.

ro, in quo ſit. Deus author eſt ſalutis, liberum arbitrium tantum capax.

Bernard. ib. Creatio in Chriſto in libertatem voluntatis facta eſt, & ſine nobis, ſi in libertatem, tum non ex libertate, Si ſine nobis, tum penes nos nõ eſt hoc Dei opus impedire.

Aug. de corrept. & grat. cap. 14. Deo volenti ſalvum facere, nullum hominis reſiſtit arbitrium.

De Converſione qua denotat actionem hominis per fidem & pœnitentiam ſalutiferam ſe ad Deum convertentis.

THESIS I.

PRædictam converſionem ſequitur hæc noſtra converſio actualis, Deo proliciente ipſum actum credendi

dendi & convertendi, ex mutata voluntate, quæ acta à Deo, agit & ipſa, convertendo ſe ad Deum, & credendo, hoc eſt actum ſuum vitalem ſimul eliciendo.

ORdine temporis vix diſtingui poſſunt opus Dei convertentis hominem, & actio hominis ſe convertentis ad Deum : ordine tamen cauſalitatis, divinum opus præcedat, noſtra operatio ſequatur, eſt neceſſe. Mala arbor fructus malos ſua natura proferens, prius in bonam ipſa mutetur opus habet, quàm fructum ullum bonum proferat. Hominis autem nondum regeniti voluntas non modo mala eſt arbor, ſed

& mortua. Fructum ergo bonum si proferat, non id facit, ut corrigatur, aut sua cooperatione vivificetur, sed quia mutata & vivificata est.

Ad Simpl. lib. 1. quæst. 2. Scite Augustin. *Non ideo bene currit rota, ut rotunda sit, sed quia rotunda est. Sic & nos dicimus, non ideo bene currit voluntas ut regenerata sit, sed quia jam regenerata est.*

De fat. Fidei. In eandem sententiam Hugo de Sto. Victore. *Gratia reparatrix bonam voluntatem aspirat, ut sit; deinde bona voluntati inspirat, ut moveatur: primum operatur eam, deinde per eam.*

Secundo dicimus, Deum non modo efficere habitualem illam mutationem, qua homo novas spirituales vires acquirit ad credēdum & convertendum, sed etiam mira quadam

quadam arcanæ operationis efficacia prolicere, ex ſanata voluntate ipſum actum credendi, & convertendi. Sic paſſim loquitur Scriptura. Joan. 6. 66. *Pater dat venire ad filium*, id eſt, credere. Phil. 1. 29. *Vobis donatum eſt credere* (*ipſum* τὸ πιστεύειν) 2 Tim. 2. 26. *Deus dat pœnitentiam.* Quod ſi, vires quaſdam infundendo, daret Deus tantum poſſe credere, poſſe converſere, ac ipſum interim actum committeret libero hominũ arbitrio, certè, quod primus parens fecit, faceremus omnes; libero arbitrio à Deo deficeremus, nec poſſibilitatem hanc in actum perduceremus. Hæc itaque eximia eſt illa ſpecialis gratia, electis in Chriſto conceſſa, qua non modo poſſunt credere, ſi velint,

lint, ſed & volunt cum poſſint. Phil. 2. 13. *Dat Deus nobis & velle, & perficere.*

Hanc contra Pelagianos gratiam operativam aſſeruerunt Catholici.

In Epiſt. Synod. Affr. Epiſcop. *Iubet Deus homini, ut velit: ſed Dominus in homine operatur & velle; jubet ut faciat, ſed operatur & facere.*

Auguſt. de grat. Epiſt. cap. 14. *Omnis, qui didicit à Patre, non ſolum poteſt venire, ſed venit; ubi jam & poſſibilitas profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus eſt.*

Idem de Præd. ſanct. *Operatur Deus fidem noſtram, miro modo agens in cordibus noſtris, ut credamus.*

Tandem & illud adjicimus, hanc Dei actionem in proliciendâ fide non impedire, imo facere, ut ipſa voluntas ſimul agat, & actum ſuum eliceat. Ideoque actus credendi, ut-

utcunque à Deo immittatur, tamen, quia ab homine exercetur, ipsi homini tribuitur, Rom. 10. 10. *Corde creditur ad justitiam:* & 2 Cor. 4. 13. *Credidi, propter quod locutus sum. Deus est* (inquit August.) *non qui credit omnia in omnibus, sed qui operatur omnia in omnibus. Certum est nos credere, cum credimus, sed Deus facit ut credamus. Nos operamur, sed Deus operatur in nobis operari.* *Idem. de pers. lib. 2. cap. 3.*

II.

Divina hæc actio non lædit voluntatis libertatem, sed roborat: neque tamen extirpat radicitùs vitiosam resistendi possibilitatem;

tatem; ſed efficaciter & ſuaviter dat homini firmam obediendi voluntatem.

DUo hic negamus, primum voluntatis hac in parte læſionem. Nempe ſic Deus agit in natura, etiam ubi evehit, ac ſupra ſphæram ſuam attollit eam, ut non evertat ſingularem rerum naturam, ſed relinquat unicuique proprium modum motumque in actione producenda. Cum igitur per Spiritum gratiæ agit in voluntatibus humanis, facit eas ſuo nativo modo operari, id eſt, liberè, & eo liberiùs, quo moventur à Spiritu efficacius. Joan. 8. 36. *Si Filius vos liberaverit, verè liberi eritis.* 2 Cor. 3. 17. *Ubi Spiritus Domini, illic libertas.*

Incredi-

Incredibile certe nobis videtur, Deum, qui noſtras fecit voluntates, eaſque libertate donavit, non poſſe in eas, vel in eis tali modo operari, ut quamlibet bonam actionem per eaſdem, illæſa earum natura, hoc eſt liberè, eliciat.

De ipſis hominum voluntatibus facit, quod vult, & quando vult, habens humanorum cordium, quo voluerit, inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem. *Auguſt. de corrept. & grat. cap. 14*

Hanc abundantiorem gratiam ita credimus potentem, ut negemus violentam. *Proſp. de vocat. gent. lib. 2. c. 26.*

Alterum, quod hic diffitemur, eſt eradicatio perverſitatis. Quamvis enim Deus in ipſo regenerationis opere adeo potenter in voluntatem agat, ut actualiter reſiſtendi potentia proxima pro illo tempore

tempore ſuſpendatur, remotam tamen, & (ut loquuntur) *in actu primo* poſitam reſiſtendi potentiam ne tum quidem funditus extirpat, ſed in ſua amara radice deliteſcere permittit. Quamdiu ſcilicet animo humano ineſt radix illa corruptæ corrũpentiſq; concupiſcentiæ, certum eſt, una ineſſe non modo poſſibilitatem, ſed & pronitatem ad reſiſtendum motibus Spiritus ſancti: Gal. 5. 17. *Caro concupiſcit adverſus Spiritum.* Sed hæc reſiſtibilitas, propter efficaciſſimam & ſuaviſſimam motionem gratiæ, nequit *in actum ſecundum* hic, & nunc erumpere. Proverb. 21. 1. *Cor Regis* (quanto magis hominum minus liberorum?) *in manu Domini, quocunque voluerit inclinabit illud.* Huic gratiæ reſiſti-

fisti nequit; quia primum operatur velle, id est, non resistere; neque enim resistere ultra potest, cui velle resistere sublatum est, ut præclarè Reverendus Sarisburiensis. Robert. Sariſ. de veritate gratiæ. pag. 20.

THESIS III.

DEus hominem conversum, & fidelem non ita semper movet ad bonos actus subsequentes, ut tollat ipsam voluntatem resistendi, sed quandoque permittit illum vitio suo deficere à ductu gratiæ, & in particularibus multis actibus concupiscentiæ suæ parere.

Oportet

OPortet ſemper diſcrimen ſtatuere inter illos actus principales, ſine quibus ſalus electorum non conſtat (quales ſunt, convertere ſe ad Deum, credere, perſeverare) & particulares ſubſequentes actus, qui, ſpecialiter conſiderati, non ſunt ad ſalutem abſolutè neceſſarii, ut hoc, aut illud peccatum vitare; tale, aut tale bonum opus non omittere: Ad illos enim eliciendos ſic operatur gratia, ut det electis ſuo tempore & poſſe, & velle, & perficere: ad poſteriores non deeſt quidem nobis per totum vitæ noſtræ curſum motus & ductus Spiritus divini, ita tamen, ut gratiæ deeſſe poſſimus, imo ut nimis ſæpe deſimus; ac ſubinde concupiſcentiis noſtris liberè turpiterque pareamus.

pareamus. Hinc illa Galat. 5. 17. *Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis.* Epheſ. 4. 30. *Nolite contriſtare Spiritum Sanctum Dei, in quo obſignati eſtis in diem redemptionis.* Spiritum enim contriſtare dicuntur, qui ejus ductui reſiſtunt, & ſervili quadam libertate concupiſcentiis ſuis, contra gratiæ motum & conſcientiæ dictamen, indulgent.

THESES

THESES HETERODOXÆ, QUAS REJICIMUS.

THESIS I.

VOluntatem non esse capacem donorum spiritualium, adeoq; nunquam fuisse dona spiritualia in hominis integri voluntate: nunquam à voluntate lapsi hominis fuisse separata: nunquam in regeneratione humanis voluntatibus talia dona infundi.

SAcra Scriptura, dum in corde ponit dona Dei spiritualia, eadem agnoscit in voluntate

voluntate Rectitudinem. Pſal. 32. 11. *Gloriamini omnes recti corde:* Munditiem, Matth. 5. 8. *Beati mundi corde:* Bonitatem, Luc. 8. 15. *Hi ſunt, qui in corde bono & honeſto verbum retinent.* Quod ſi quis hæc ad effectus retulerit, eoſque extra voluntatem collocaverit, ille (quod nefas eſt) præclariſſima gratiæ divinæ dona in irrationali animæ parte collocabit.

Quin etiam ipſa habitualis converſio voluntatis ad Deum Creatorem, & averſio ab inordinata libidine fornicandi cum creatura, proculdubio maximum erat donum. Hujus autem doni capacem fuiſſe voluntatem inde liquido conſtat, quod cum tali rectitudine creata fuit. Nempe Deus ab initio hominem fecit rectum.

ctum. Hanc esse amissam ex effectis nimium patet; cum jam ipsa hominis carnalis voluntas non possit non frui utendis, & uti fruendis: utpote in quam irruerit, & irruperit turma vitiosarum dispositionum. Porro cum voluntas hominis animalis mala dicatur ab innata quadam, & inhærente malitia, quæ in improbo, etiam nihil agente, habitualis est; viciſſim agnoscenda est in voluntate renatorum donata quædam & infusa bonitas, quæ piis illorum actionibus præsupponitur. Hanc habitualem bonitatem passim celebrat Augustinus. *Præcedit bona voluntas hominis multa dona Dei, sed non omnia, quæ autem non præcedit ipsa, in eis est & ipsa.* Ne quis autem somniet, hanc voluntatis bonitatem

Enchirid. cap. 32.

nitatem non esse donum internum, facultati infusum, sed meram denominationem ab actu voluntatis ipsius petitam, vocat illam Prosper *primam supremi agricolæ plantationem.* Plantatio autem designat quiddam animæ insitum non actū ex ea dimanantem. *De vocat. l. 1. cap. 6.*

THESIS II.

GRatiam, qua convertimur, esse lenē tantū, & moralem suasionem.

NOn inficiamur in opere conversionis vel futuræ præparando, vel præteritæ confirmando Deum adhibere comminationum, promissionum, aliarumq; hortationum vim suasoriam, qua animos hominum

hominum ſubigat, alliciat, commoveatque : verum ad ipſam hujuſce negotii cataſtrophen infallibiliter producendam potentiùs ſemper ac inſuperabiliùs operatur, *pro magnitudine potentiæ, pro efficacite roboris potentiæ ſuæ*, Epheſ. 1. 18. Nec ſufficit ſuaſio contingenter tantum afficiens, & invitans. Nam

1. Suaſio moralis movet tantum objectivè, & in virtute finis. Recte autem ſtatuunt Philoſophi, Qualis unuſquiſque eſt, talem ei finem videri. Dum itaque homo carnalis eſt, & nondum regenitus, bona ſupernaturalia ei repræſentata, non poſſunt ita afficere voluntatem, ut illorum deſiderio prorſus incendatur ad credendum & convertendum: ſed potenti operatione, omnem

nem ſuaſionem excellente, ſuperanda ac immutanda eſt voluntas, ut bonum oblatum efficaciter amplectatur.

2. Si morali tantum ſuaſione homines ad Deum converterentur, tum hæc quęſtio, Cur, oblatâ æquali gratiâ, hic credat, ille non credat, per liberi arbitrii velle & nolle ſolveretur; nec ulla reſtaret hac in parte imperveſtigabilis ſapientiæ, ac judicii Dei noſtra admiratio. Atque contra Pelagianos orthodoxa hæc ſententia ſemper defenſa eſt, *Converſionem & fidem ex occulta Dei gratia eſſe, quæ datur aliis ſecundum miſericordiam, aliis non datur ſecundũ juſtitiam.* *Auguſt. de Perſev. lib. 1. cap. 7.*

3. Si mera morali ſuaſione homines converterentur, qui hanc ſuadentem gratiam admiſerit, poſſet verè dicere, Ego

go me discrevi: accepi enim gratiam lenem & suaſoriam, quæ ad fidem & conversionem me quidem ſollicitavit, ſed æquè etiam alios: illi, pro ſua libertate, moralem hanc ſuaſionem repulerunt; ideoque manent inconverſi: Contra ego, pro mea libertate, eandem ſuaſionem ſum amplexus; ac ideo ſum converſus. Ubi interim illud Pauli, *Quis te diſcernit? Quid habes quod non accepiſti?*

Fides & inchoata & perfecta donum Dei eſt: & hoc donum quibuſdam dari, quibuſdam non dari omnino non dubitet, qui non vult manifeſtiſſimis Sacris Literis repugnare.

Auguſt. de præd. ſanct. cap. 9.

THESIS

THESIS III.

POsitis omnibus gratiæ operationibus, quibus Deus ad efficiendam hanc conversionem utitur, voluntatem hominis relinqui in æquilibrio, velitne credere, vel non credere, convertere se ad Deum, vel non convertere.

CONTRA.

1. SI post omnes divinæ gratiæ operationes hominis voluntas in æquilibrio relinquatur, necessàrio sequetur, non Deum per gratiam, sed hominem per liberum arbitrium esse principalem causam, autoremque ipsius creditionis,

tionis, ac converſionis. Qui enim, omnibus gratiæ ſuæ viribus exertis, nil aliud valuit, quam voluntatem ad medium quendam æquilibrii ſtatum attollere, is ad novam ab æquilibrio mutationem, hoc eſt, ad actum credendi concurrit, non principaliter, aut prædominanter, ſed ſolummodo concomitanter, & contingenter, nempe, ſub hac conditione, ſi voluntas ex æquilibrio ſe prius ſua vi naturali dimoverit. Quod ergo minus eſt, voluntas accepit à Deo; nimirum, ut poneretur in indifferenti quadam medietate, ut crederet, vel non crederet; quod autem majus eſt, ipſumque eventum ſpecificat, ſibi ex ſe præſtitit voluntas ipſa, nempe, ut actu crederet.

2. Item

2. Item ſequetur, non majorem à Deo gratiam exhibitam electis, quam non electis; nec illos, quam hos, Deo majori gratitudinis debito obſtringi; quandoquidem in utriſque divina manus nil aliud operata ſit, quam voluntatis æquilibrium, quod in puncto conſiſtit, nec latitudinis eſt capax.

3. Gratia convertens ea intentione datur, ut ſit efficax, hominemque permoveat, imo perducat ad ipſum fidei actũ infruſtrabiliter eliciendum: quo etſi aliquando forte pertingeret ex voluntatis in æquilibrio poſitæ libera propenſione ad amplexandum & obſequendum gratiæ, tamen haud minus ſæpe fruſtrabitur, ex volũtatis in eodẽ æquilibrio poſitæ libera ſui determinati-

one ad repudiandum gratiam, eique reſiſtendum : nempe, cum in æquilibrio ſemper ſupponitur contingẽtia prorſus æqualis ad utrumque.

Hæc gratia à nullo duro corde reſpuitur : ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur.

Auguſt. de prad. ſanct. cap. 8.

THESIS IV.

HOminem non poſſe plus boni facere, quàm facit, nec plus mali omittere, quam omittit.

FAlſa ſunt hæc & abſona, ſive de homine irregenito & animali intelligantur, ſive etiam de renato & gratia ſanctificante ſuffulto. Primum, quod ad hominis naturalis ſtatum

ſtatum attinet, quamvis non poſſit inſitam ſuam pravitatẽ exuere, aut peccati generaliter ſumpti dominium excutere, poteſt tamen multos actus externos cohibere, in quibus fræna laxat concupiſcentiis ſuis. Vitioſa concupiſcentia inclinat hominem impium ad omne malum, non tamen determinat, aut cogit illum ad hoc, vel illud malum, hic, & nunc, neceſſario patrandum; ut hanc cædem, hanc rapinam, hoc adulterium. Hoc etiam inde conſtat, quod homines improbiſſimi ſua ſcelera aggrediuntur non ſine prævia deliberatione, liberrimaque mediorũ diſpoſitione; quodque, ad ipſum facinus jam accincti temperare ſibi poſſunt, ex alterius reverentia, aut præſentaneo periculi metu. Denique

nique fruſtra ex legibus humanis pœnæ ſceleratis intentantur, ſi nemo ea, quæ admittit flagitia, omittere potuerat.

Quod autem ad actus ſuo genere bonos attinet, certum eſt, ipſos irregenitos omittere ſæpiſſimè multas actiones morales externas, quas ſecundum operis ſubſtantiam potuerant præſtare, ac ob voluntariam talium operum omiſſionem juſtiſſimè condemnari, Matth. 25. 43. *Eſurivi, & non dediſtis mihi ad comedendum: Sitivi, & non dediſtis potum, &c.*

Deinde etiam de renatis, ac vere ſanctificatis idem eſt aſſerendum; nempe quamvis ſint à peccati dominio liberati, Rom. 6. 14. & 18. *Servi facti juſtitiæ*; Rom. 8. 1. &

non

non ſecundum carnem ambulent, ſed ſecundum Spiritum; poſſunt tamen, idque liberè, extra rectum juſtitiæ tramitem greſſus dimovere, etiam tum cum non tranſgrediuntur: itidemque cum labuntur, potuerant gratiæ vi ac ſubſidio, per voluntatem liberam, hoc eſt liberatam, concupiſcentiis ſuis reſtitiſſe, vitaſſe illa carnis opera manifeſta, quę Gal. 5. 19. recenſentur, *fornicationem, immunditiem, iras, rixas, &c.* Quis ſanus dixerit Davidem non potuiſſe non perpetrare adulterium? & hoc patrato, non potuiſſe illi, cui ſummam injuriam intulerat, non etiam peſſima & deliberata machinatione ipſam vitam eripere? Verum, ne longe exempla petantur, ſingulorum piorum conſcientias appellamus. Quis

non quotidie Deum orans, *Dimittte nobis debita*, ſimul agnoſcit, ſibi per Dei gratiam in promptu fuiſſe bona præſtare officia, quæ tamen omiſit, item tentatiunculas ſuperare, quibus tamen ceſſit? 1 Cor. 10. 13. *Fidelis Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſuper id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione exitum, ut poſſitis ſuſtinere.*

EORUN-

EORVNDEM DE QVINTO ARTICVLO SENTENTIA.

Qui est *De Perseverantia Sanctorum.*

IN hoc Articulo, quando de Sanctorum perseverantia quæritur, manifestum est, de illis tantum Sanctis agi, qui rationis usu pollent, actuque fidei ex Euangelio prædicato conceptæ justificantur, quique in eadem fide propriæ voluntatis actu aut perseverare, aut à perseverantia deficere ponuntur. Nam primo patet ex ipso Quinto Remonstrantium Articulo, agi de iis qui Christo vera actuali fide insiti sunt. Soli autem adulti per ve-

Col. Hag. Bert. parte 2. pag. 10.

veram fidem insiti sunt. Secundo, idem patet ex Articulorum connexione. Nam in IV. Articulo Remonstrantes contendunt, Deum operari fidem in hominibus per vim & gratiam resistibilem : & proinde Deum itidem fidem jam in cordibus fidelium ingeneratam, per vim resistibilem conservare & custodire. Ideoque eum, qui semel fidem adeptus est, posse eandem amittere. Ut patet in statu hujus controversiæ à Remonstrantibus formato. At Deus operatur & conservat fidem resistibiliter in solis adultis: ut qui soli libere possunt gratiæ resistere. Ergo. Tertio Remonstrantes asserunt Perseverantiam, de qua hic agitur, esse beneficium omnibus fidelibus sub hac conditione

Col. ibid. pag. 1.

ex

ex æquo oblatum, ſi gratiæ ſufficienti non defuerint. Quæ aſſertio plane ſupponit, Articulum intelligi debere de Perſeverantia adultorum, qui ſoli liberè deeſſe poſſunt gratiæ ſufficienti, utpote penes quos ſolos eſt libertatis uſus. Hæc ſi diligentius perpendiſſent Remonſtrantes, abſtinuiſſe poterant ab argumento ſumpto à parvulis baptizatis, ad aſſerendam juſtificatorum defectionem : præſertim ii, qui negant in Baptiſmo parvulorum ullam eſſe realis gratiæ collationem. *Col. Bert. ib. pag. 19.*

Quia in hoc Articulo duo ſunt, quæ ventilari ſolent, Primum, an non-electi ad ſtatum ſanctificationis & juſtificationis, ex quo in vere Sanctorum numero cenſeantur, unquam pertingant ; Secun-

dum, an Electi juſtificati & ſanctificati unquam ab hoc ſtatu penitus deficiant: ideo primo in loco Theſes ponimus eas, quibus oſtenditur, quouſque non-electi in via ad juſtificationem progredi poſſint.

Quoad non-electos,

THESIS I.

QVibuſdam non-electis conceditur quædam illuminatio ſupernaturalis, cujus virtute intelligunt ea, quæ in verbo Dei annunciantur, eſſe vera, iiſdem aſſenſum præbent minime ſimulatum.

Hujus

HUjus Theſeos veritas quoad priorem partem, illuminationem ſcilicet mentis, aperte ex Scripturis colligitur. Heb. 6. 4. ubi Apoſtolus meminit eorum, qui in Spiritum S. peccarunt, aſſerens eos fuiſſe φωτισθέντας; & cap. 10. 26. innuit, eoſdem poſt acceptam veritatis cognitionem ultro peccare poſſe. Item, Apoſtolus Petrus, 2 Pet. 2. 21. mentionem facit quorundam, qui cum cognoviſſent viam juſtitiæ, tamen regreſſi ſunt à ſancta doctrina iis tradita. Judas erat *filius perditionis*. Joh. 17. 12. idem tamen cognitione Euangelii inſtructus eſt. Unde & miſſus à Chriſto una cum reliquis Diſcipulis ad prædicandum Euangelium Iſraeli, Matth. 10. 7. Eaſdemque pœnas in-

termina-

terminatur Christus Judæ præconium aspernantibus ac aliorum, vers. 9. Hi omnes illuminati sunt cognitione supernaturali veritatis Euangelii: quæ illuminatio à Spiritu S. profecta, veram notitiam in horum mentibus genuit; ex qua actus eliciebant, quoties opus erat, eidem conformes. Imo fieri potest, ut Philosophus Ethnicus distinctius & accuratius apprehendat mysterium incarnationis Christi & subtilius intelligendo discernat unitatem personæ, & naturarum distinctiones, quam rudis Christianus.

De assensu minime simulato, qui Euangelio præberi & potest & solet ab hominibus non-electis, æque liquet. Luc. 8. 13. Semen, quod cecidit super petrosã, eos denotat audi-

tores,

tores, qui ad tempus credunt, id eſt, qui divinitus revelatis aſſentiuntur, & in primis pacto Euangelico : Aſſenſum autem hunc minime ſimulatum fuiſſe inde conſtat, quod ſermonem cum gaudio exciperent. Actor. 8. 12. Ipſe Simõ Magus Philippo Euangelizanti, quæ ad regnum Dei pertinent, credidit, & in teſtimonium fidei baptizatus eſt. Hymenæus, & Alexander naufragium fecerant fidei, non quidem fictæ, aut ſimulatæ, ſed veræ. Neque enim cuiquam vitio vertendum, quod à fide hypocritica deficiat : nec fidei ſimulatæ naufragium fit, ſed detectio, & manifeſtatio : nec naufragus eſſe poterit, niſi qui vere in navi fuit. 2 Pet. 2. 20. Nonnulli dicuntur effugiſſe

inqui-

inquinamenta mundi ἐν ἐπιγνώσει τοῦ κυρίου, quorum ultima conditio deterior facta est priori: hæc autem ἐπίγνωσις, non nudā cognitionem, sed & assensum cognitis datū denotat, ex quo nata illa fuga inquinamentorū mundi. Joh. 12.42. *Ex principibus multi crediderunt in illum: sed propter Pharisæos non confitebantur; ut è Synagoga non ejicerentur, Dilexerunt enim gloriam hominum, magis quàm gloriam Dei.* Credebant scil. fide dogmatica minime simulata, in cordibus quidē tum latēte, sed in externā professionē non erūpente, propter periculi metum. Qui (ut inquit Augustinus) *in hoc ingressu fidei si proficerent, amorem quoque humanæ gloriæ proficiendo superarent.*

Tract. 53. in Ioh.

Omnes hujusmodi deserto-

res

res juſtè coarguuntur, ac puniuntur, non quod fidem eam, quam nunquam habuerint, ſimularint; ſed quod eam, quam habuere, derelinquerint: ac multo gravius peccant à fidei gratia collata recedentes, quam illi, quibus Euangelii præconium nunquam innotuit, ut docet ſalvator. Joh. 15. 22.

II.

IN iiſdem ex hac cognitione & fide oritur affectuum quædam mutatio, & morum aliqualis emendatio.

EX illuminatione, & fidei aſſenſu prædictis naſcitur quædam in non electis, cum mutatio affectuum, tum vitæ emenda-

emendatio: de priore conſtat ex Matth. 13. 20. *audiunt verbum, & cum gaudio accipiunt.* Item 1 Reg. 21. 27. *Cum audiſſet Achab ſermones iſtos, ſcidit veſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam, jejunavitq;, & dormivit in ſacco, & ambulavit demiſſo capite.* Hoſce geſtus fuiſſe indices veri doloris, ex Prophetæ verbis concepti, inde conſtat, quod Deus hanc humiliationem ſupplicii temporalis amotione remuneratus ſit, verſ. 29. *quia humiliatus eſt mei cauſa, non inducam malum in diebus ejus.* Heb. 6. 4. Quia ibidem deſcribuntur apoſtatæ, non tantum *illuminati ſunt, ſed & guſtarunt donum cæleſte, bonum Dei verbum & virtutes futuri ſeculi,* Et verſ. 6. innuitur eoſdem aliquo modo fuiſſe renovatos.

Et

Et cap. 10. 26. *Iidem, qui acceperant cognitionem veritatis,* vers. 29. dicuntur *conculcare sanguinem fœderis, quo sanctificantur.* Mar. 6. 20. *Herodes libenter audiebat Iohannem Baptistam.*

De aliquali morum emendatione idem Herodes exemplo esse potest, qui *Iohannem Baptistam observabat, eoque audito, multa faciebat.* 2 Pet. 2. 20. *Inquinamenta mundi effugerant per agnitionem Domini & Servatoris Iesu Christi.* Hi ex hujus cognitionis & fidei operatione aversati sunt hæc mundi inquinamenta. Item cap. 1. 9. Quidam *obliviscuntur sese à veteribus peccatis purgatos fuisse.* Ex Matth. 12. 43. Ex talibus *Spiritus immundus exiisse dicitur.* In hisce ut illuminatio & assensus divinitus revelatis

latis præstitus minime simulatus erat, sed suo gradu & ordine verus, ita affectus quoque & morum immutatio. Hæc scilicet initialia non erant ficta, vel fucata, sed ex vi dispositionum ad gratiam & afflatu Spiritus Sancti, quem in sese pro tempore senserunt. Quod patet ex affectibus, gaudio, dolore, zelo, quos non tam præ se ferunt, & simulant, quam in se vere experiuntur.

Aug de corrept. & grat. cap. 9.

De talibus pronunciat Augustinus, *Non erant Filii, etiam quando erant in professione & nomine filiorum, non quia justitiam simulaverunt, sed quia in ea non permanserunt.*

III.

III.

EX his initialibus, etiam per externa obedientiæ opera testatis, sumuntur, & ex charitatis judicio sumi debent, pro credentibus, justificatis & sanctificatis.

QVi istiusmodi Spiritus Sancti donis internis cum vitæ emendationem, tum fidei Christianę externam professionem adjunxerint, merito à nobis (quibus intima cordium penetralia incomperta sunt & inscrutabilia) fidelium, justificatorũ, & sanctificatorũ censu sunt habendi, idquod satis luculẽter ex Apost. Paulo evincitur: qui in epistolis, quas

quas ad Eccleſias dedit particulares Romæ, Corinthi, Epheſi, &c. omnes promiſcuè compellat, ut *dilectos Dei, ſanctos, ſanctificatos*. Rom. 1. 7. 1 Cor. 1. 2. Epheſ. 1. 1. Phil. 1. 1. Similiter Apoſtolus Petrus in fronte primæ Epiſtolæ advenas diſperſos hac formula affatur, *dilectis ex prænotione Dei patris ad ſanctificationem Spiritus*. Auguſtini calculus accedat de non-electis ſic loquentis. *Iſti, cum pie vivunt, dicuntur Filii Dei; ſed quoniam victuri ſunt impie, & in eadem impietate morituri, non eos dicit filios Dei præſcientia Dei*. Et poſt. *Sunt rurſus quidam, qui filii Dei propter ſuſceptam temporalem gratiam dicuntur à nobis, nec ſunt tamen Deo.*

Auguſt. de Corrept. & grat. cap. 9.

THESIS

THESIS IV.

NOn-electi huc usque progressi, ad statum tamen adoptionis & justificationis nunquam perveniunt: ac proinde ex horum apostasia perperam deducitur Sanctorum apostasia.

LIcet non-electi in Ecclesiæ gremio enutriti dictis initialibus in mente, voluntate, & affectibus ad justificationem aliquo modo tendentibus disponantur, non tamen inde in statu justificationis vel adoptionis positi sunt. Adhuc enim vitiosarum, quibus indulgent, cupiditatum fibras radicesque funditus defixas retinent,

retinent, amore terrenorum penitius afficiuntur, & durities in imis cordium receſſibus latens non aufertur : hinc urgente perſecutione, aut tentatione, à gratia recedunt, & aut amore voluptatum carniſque illecebris ineſcati, aut aliquo alio vitioſo affectu abrepti produnt tandem ſe φιλαύτους, ac potius φιλησύνους, quam φιλοθέους ; nihilque minus quam *Deo frui*, quicquid ſibi falſo perſuadeant, ſed revera *uti voluiſſe Deo, ut fruantur mundo*, ut alicubi Auguſtinus: unde conſtat, eos nunquam reipſa pertingere ad illam mentis & affectuum mutationem & renovationem, quæ cum juſtificatione conjuncta eſt, imo nec ad illam, quæ proxime præparat ac diſponit ad juſtificationem. Nunquam enim

De Civ. Dei l. 15.

2 Cor. 7. 17.

nim ſeriam pœnitentiam agunt; nunquam ſerio dolore afficiuntur, hoc ipſo, quod peccando Deum offenderint; humilem cordis contritionem non attingunt, nec ſincerum propoſitum de non peccando impoſterum concipiunt; iis non datur reſipiſcentia ad vitam, cujus mentio Act. 11. 18. non dolor ille ſecundum Deum, qui reſipiſcentiam efficit ad ſalutem, cujus nunquã pœniteat; Non ſunt pauperes Spiritu; quoniam talium eſt regnum cœlorum. Mat. 5. 13.

Huc facit illud Auguſt. qui de reprobis agens, *iſtorum* (inquit) *neminem adducit Deus ad pœnitentiam ſalubrem, & ſpiritualem, qua homo in Chriſto reconciliatur Deo.* *Contra Iulianum lib. 5. cap. 3.* Mat 8. 6.

Adde, quod nunquam ſerium in ſe ſentiunt deſiderium

um reconciliationis, non e-
Apoc.22.6 ſuriunt nec ſitiunt juſtitiam:
Joh.4.14. tales enim ſaturabuntur, iiſ-
que dabitur è fonte aquæ vi-
væ, qui fons erit aquæ ſalien-
tis ad vitam æternam. Porro
ſeipſos non abnegant, nec ſuis
cupiditatibus penitus abre-
nunciant, neque unquam re-
Phil.3.8. rum omnium præ Chriſto vi-
lipendentiam, quam habuit
Apoſtolus, in cordibus ſuis
perſentiſcunt. Denique fi-
Tim.1.5. dem illam vivam, & ἀνυπόκριτον,
quæ peccatorem juſtificat, &
Tit.1.1. per dilectionem operatur,
nunquam adipiſcuntur. Eſt
enim hæc fides peculium E-
Joh.10.26 lectorum; & negatur non-e-
lectis.

Præterea ſolos electos ju-
ſtificari conſtat ex aurea illa
Rom.8.30 Apoſtoli catena, *Quos prædeſtinavit, hos vocavit, quos vocavit,*

cavit, justificavit : hos nempe, & non alios ; ut ex Aug. ostendimus ad Articulum I. Rom. 8. 30

Idem August. *Non omnium Deus, sed eorum, quos præscivit & prædestinavit, delicta dimittit.* Cont. adul. leg. & prophet. l. 2. cap. 2.

Eosdem non-electos nunquam ad statum adoptionis pervenire ex Scripturis etiam satis liquido constat. Nam primo gratia adoptionis fundatur in prædestinatione: *Qui prædestinavit nos, quos adoptaret in filios per Iesum Christum.* Eph. 1. 5. Joh. 1, 12. Secundo, status adoptionis, ut & jus ac privilegium filiorum, non nisi fide viva acquiruntur. *Quotquot eum receperunt, iis dedit ἐξουσίαν, hoc est, jus & privilegium, ut essent filii Dei : nempe, qui credunt in nomine ejus.* Gal. 3. 27. Item, *Omnes estis filii Dei per fidem in Christo Iesu.* 1 Pet. 1. 23

Eſt autem hæc fides propria Electorum, ut ſupra dictum eſt. Tertio, omnes, qui in filios adoptantur, regenerantur & quidem ex ſemine incorruptibili, per ſermonem Dei vivi. *Quiſquis natus eſt ex Deo,*
1 Joh. 3. 9. *peccatum non committit, quoniam ſemen ejus in illo manet.*

Quarto, Iidem filii adoptivi ſunt etiam hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti; & hæreditatis arrhabonem accipiunt. At
Rom. 8. 17 Gal. 4. 7. Eph. 1. 14. non-electi nunquam ex ſemine incorruptibili regenerantur, nec in ſe manens Dei ſemen habent, nec in eandem cum Chriſto hæreditatem conſcribuntur.

De corrept. & grat. cap. 9. Hinc Auguſt. *Non erant in numero filiorum, etiam quando erant in fide filiorum.* Rurſus: *Sicut non vere diſcipuli Chriſti,*

ita

ita nec vere filii Dei fuerunt, etiam quando esse videbantur, & ita vocabantur.

Ambrosius; *Num Deus Pater ipse, qui contulit, potest sua dona rescindere? &, quos adoptione suscepit, eos à paterni affectus gratia relegare?* Lib. 1. de Iacob. & vit. beat c. 6

Gabriel Biel, *Præsciti non sunt filii adoptivi, patet, quia non sunt per voluntatem Dei ad hæreditatem præordinati.* 3. dist. 10. q. 1. art. 1.

Horum tantum, qui ad veræ justificationis metam & adoptionis statum nunquam perveniunt, veri nominis apostasia datur.

Eorum vero, qui in filios Dei cooptati, veraq; sanctitate imbuti sunt, certa ac indubitata est perseverantia, ut post demonstrabimus.

Aut ergo horum filiorum Apostasia disertis Scriptura-

rum teſtimoniis erat proban-
da, aut infauſti nominis omi-
niſque titulo de apoſtaſia
Sanctorum, abſtinendum.

DE PERSEVERANTIA

Quoad ipſos electos, ipſiuſque certitudine, quoad rem.

THESIS I.

*PRæter fidem illam dog-
maticam, affectuũ mo-
rumque aliqualem e-
mendationem, datur ſuo tem-
pore electis omnibus ipſa fides
juſtificans, & gratia regene-
rans, eaque omnia, per quæ
ex ſtatu iræ in adoptionis ac
ſalutis ſtatum transferuntur.*

Quando

QUando Deus cum electis agit, non subsistit in præparatoriis, aut initialibus quibusdam operibus, sed opus suum semper absolvit, eosdem vera fide donando, justificando, adoptando; & ex statu mortis in vitæ statum transferendo. Hoc ostendit Apost. Rom. 8. 30. *Quos prædestinavit, eos etiam vocavit, & quos vocavit, eos etiam justificavit, quos autem justificavit, eos etiam glorificavit.* Et Col. 1. 12. *Gratias ago Patri, qui idoneos nos fecit ad portionem hæreditatis Sanctorum in lumine, & redemit nos de potestate tenebrarũ, & transtulit in regnum filii dilecti sui.* Ex quibus locis constat, dari electis omnibus perpetuam quandam beneficiorum spiritualium seriem, quæ illos nunquam derelinquit,

ſed uſque ad ſtatum gloriæ proſequitur.

II.

QVamvis electi in hoc ſtatu conſtituti, ratione reliquiarum concupiſcentiæ, in omni opere bono aliquid omittant, & leviora peccata ſubreptionis, negligentiæ & inadvertentiæ quotidie committant, inde tamen nec juſtificationis ſtatus concutitur, nec juris ad regnum cœleſte hæreditarii uſus intercipitur.

EX legis quidem rigore quodvis, vel leviſſimum peccatum eſt mortiferum, & ex-

excludit peccatorem, à favore Dei & regno cœlorum. Sed cum filiis in Chriſto jam adoptatis & juſtificatis, Deus nunquam agit ſtricto jure. Sunt quidem peccata aliqua, ob quæ Deus hiſce filiis ſuis iram atque indignationem denunciat, imo è cœlis excluſionem, mortemque æternam interminatur. Qualia ea ſunt, videre licet, 1 Cor. 6. 10. Galat. 5. 25. Coloſſ. 3. 6. de quibus in Theſibus ſequentibus dicetur. Sunt autem & alia quædam peccata, ob quæ Deus miſericors non ſolet filios ſuos vel ad tempus lumine vultus ſui privare, non metum condemnationis aut mortis illis incutere. Hujuſmodi ſunt rebelles concupiſcentiæ motus, de quibus conqueritur Apoſtolus Rom. 7. Item, de-

fectus & nævi, qui etiam optimis renatorum operibus adhæreſcunt. Denique ea quotidiana humanæ infirmitatis delicta quæ committuntur abſque certo aliquo propoſito committendi, & quotidiana remiſſionis poſtulatione dimittuntur. De hiſce Jacob. 3.2. *In multis offendimus omnes.* Et 1 Joh. 1. 8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus.* Hiſce peccatis non obſtantibus, rectè dixerit quivis fidelium: *nihil condemnationis eſt iis, qui*
Rom. 8. 1. *ſunt in Chriſto Ieſu.* Imo in medio harum infirmitatum, cuivis juſtificato Deus dicit, quod Apoſtolo dixit, *Sufficit tibi gratia mea: Nam virtus*
2 Cor. 12. *mea in infirmitate perficitur.*
9. Non excidunt autem à ſtatu juſtificationis ſuis infirmitatibus,

bus, quorum infirmitate virtus Dei perficitur, quique interim gloriari possunt virtutem Christi in se inhabitare, ut eodem loco habetur.

III.

IIdem regeniti ac justificati quandoque suo vitio incidunt in atrocia peccata, atque hisce indignationem Dei paternam incurrunt, reatum damnabilem contrahũt, præsentem ad regnum cœlorum ingrediendum aptitudinem amittunt.

EXemplis Davidis, ac Petri constat posse renatos in gravissima peccata seipsos præcipitare, Deo id quando-

que permittente, ut discant cum humilitate agnoscere, non suis viribus aut meritis, sed solius Dei misericordia se fuisse à morte æterna servatos, & vita æterna donatos. Dum hujusmodi peccatis inhærent, iisque securè acquiescunt, indignatio Dei paterna contra eos suboritur. *Si justitias meas prophanaverint, & mandata mea non custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum.* Quinetiam reatum damnabilem contrahũt, ita ut dum in eo statu impœnitentes persistunt, nec debeant, nec possint aliter sibi persuadere, quã se esse morti obnoxios. *Si secundum carnem vixeritis, moriemini.* Sunt enim

Psal. 89. 31.

Rom. 2. 9.

Rom. 8. 13.

nim capitali crimini conſtricti, cujus merito ſecundum divinam ordinationem morti ſubjacent, quamvis nondum morti traditi ſint, neque, ſi paternum Dei amorem ſpectemus, tradendi; ſed ab hoc peccato prius eripiendi, ut ſic ex mortis reatu eripiantur.

Denique, pro præſenti conditione amittunt aptitudinem ad ingrediendum regnum cœlorum; quia *in illud regnum non intrabit aliquid coinquinatum aut abominationem faciens.* Cœleſtis enim corona non imponitur, niſi iis, *qui bonum certamen certarunt, & curſum ſuum in fide & ſanctitate conſummarunt.* Ineptus ergo ad hanc coronam adeundam, quiſquis impietatis operibus adhuc inhæreſcit.

Apoc. 21. 27.

2 Tim. 4. 8

IV.

IV.

DEi immota ordinatio postulat, ut fidelis sic exorbitans, per renovatum fidei & pœnitentiæ actum prius redeat in viam, quam ad viæ metam, hoc est, regnum cœleste, perduci possit.

EX electionis decreto ita ad finem prædestinantur fideles, ut non aliter quàm per media à Deo instituta, quasi per viam quandam regiam ad eundem finem perducantur. Nec minus rata & certa sunt hæc Dei decreta de mediis, de modo, ac ordine eventorum, quam de fine, ac ipsis eventis.

ventis. Si quis igitur insistat viam divinæ ordinationi contrariam, puta latam illam viam immunditiæ & impœnitentiæ, quæ recta ducit ad gehennam, nunquam poterit in cœlum isto pacto pervenire. Imo si mors illum oppresserit in hoc devio errantem, non poterit non in mortem incidere sempiternam. Hæc est perpetua & clara vox Scripturarum. *Nisi pœnitentiam egeritis, vos similiter peribitis.* Luc. 13.3. *Ne errate: neque idololatræ, &c. regni Dei hæreditatem possidebunt.* 1 Cor. 6.9. Frustra ergo sunt, qui opinantur electum in talibus flagitiis volutantem, & ita morientem, vi electionis nihilominus necessario salvandum fore. Nam Deo quidem decernente certa est & firma salus Electorum: at eodem

Deo

Deo decernente non niſi per viam fidei, pœnitentiæ, ac ſanctitatis eſt certa. *Abſque ſanctitate nemo videbit Deum.* Heb. 12. 14. *Solidum fundamentum Dei ſtat, & diſcedat ab injuſtitia omnis qui nominat Ieſum Chriſtum.* 2 Tim. 2. 19. Sicuti ergo certum fuit ex Dei decreto & promiſſo illos omnes, qui in eadem cum Paulo navi navigabant, incolumes è naufragio emerſuros; & tamen illud Pauli dictum ſimul certum fuit, *Niſi hi manſerint in navi, ſalvi eſſe non poteſtis*; Actor. 27. 31. ita certum fuit, electos Dei ſervos, Davidem & Petrum ad regnum cœlorum perventuros; & tamen non minus certum, ſi ille in adulterio & homicidio, hic in Chriſti abnegatione & perjurio impœnitentes permanſiſſent, neutrum eorum ſal-

vum

vum esse potuisse. Verum enim est illud Theologicum pronunciatum, Malum oritur ex quovis defectu, bonum non nisi ex causis integris. Ingens igitur illud bonum vitæ æternæ non potest nobis competere ex eo solo quòd sumus electi, nisi concurrant & reliqua, quæ ad exequendam electionem ex necessaria Dei ordinatione requiruntur. Si quid horum desit, & contrarium insit homini electo, videtur ex utraque parte stare quædam impossibilitas. Exempli gratia, impossibile est ut Paulus electus pereat: impossibile est etiam ut Paulus blasphemus in Christum, & incredulus, si hoc in statu moriatur, non pereat: vel, impossibile est ut David electus pereat: impossibile simul, ut

David

David adulter & homicida, si morsillũ oppresserit impœnitentem, non pereat. Sed hunc nodum divina providentia & misericordia facile solvit: curando ut nemo electorum in eo statu moriatur, in quo à vita æterna juxta aliquam divinæ voluntatis ordinationem excluderetur.

V.

IN illo interstitio, quod est inter contractum ex gravi peccato reatum, & fidei ac pœnitentiæ actum renovatum, stat talis peccator, suo merito damnandus, Christi merito & firmo Dei proposito absolvendus: non pri-

us autem, quam per excitatam fidem ac pœnitentiam veniam impetravit, actu absolutus.

DE damnationis merito ob tale peccatum, nulla potest esse quæstio. *Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Nihilominus sub tali reatu non est eadem conditio fidelium & improborum. Fidelibus Christi sanguis est instar antidoti parati, & in proximo positi, quo, simulac fides eorum evigilaverit, uti possunt ad hoc lethale venenum superandum. At infidelibus deest internum hoc principium, nempe fides, absque qua ipsum remedium est quasi è longinquo positum, nec potest illis fieri proprium, actu-

Gal. 5. 21.

que

que applicari. Huc accedit ſpecialis Dei amor, qui quamvis non impediat, quin paterna ipſius indignatio ſuboriatur contra filium immorigerum, arcet tamen odium hoſtile, quod cum propoſito damnandi conjunctum eſt. 1 Cor. 11. 32. *Cum punimur, à Domino erudimur, ne cum hoc mundo damnemur.* Veruntamen hic Pater miſericordiarum, qui non vult filios ſuos, etiam peccati reatu conſtrictos cum mundo damnare, neque vult eoſdem peccatis ſuis cum mundo ſuaviter indormire. Hinc illum ordinem inſtituit, ut actus pœnitentiæ beneficium veniæ præcedat. Pſal. 32. 3. *Delictum meum cognitum tibi feci, & injuſtitiam meam non abſcondi. Dixi, Confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino.*

Et

Et tu remisisti iniquitatem peccati mei. Et Ezech. 18. 27. *Cum averterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, ipse animam suam vivificabit.*

Si quis igitur ipsum momentum cognoscere velit, in quo post contractum ex gravi peccato reatum fiat actu absolutus, videtur Cyprianus clare illud hisce verbis indicasse. *Cum te in conspectu Domini video suspirantem, Spiritum Sanctum non dubitabo aspirantem: cum intueor flentem, sentio ignoscentem.* Cypr. de cana D.

VI.

VI.

IN interstitio prædicto jus ad regnum cœlorum non tollitur, justificatio universalis non irrita redditur, status adoptionis manet immobilis, & custodiente Spiritu S. semen regenerationis una cum omnibus fundamentalibus donis, sine quibus hominis regenerati status non consistit, sarta tecta conservantur.

IUs nostrum ad regnum cœleste non in actionibus nostris, sed in gratuita adoptione atque in nostra cum Christo conjunctione situm est.

Ideoq;

Ideoq; jus ad regnum non tollitur, niſi ſublato eo, in quo fundatur, *Si filii, hæredes; hæredes Dei, & cohæredes Chriſti.* Rom. 8. 17 Manente ergo adoptione & in Chriſtum inſitione, extra viam regni aberrare poteſt fidelis, at jure regni hæreditario excidere non poteſt. Nam ſicuti is, qui in lepram incidit, propria domo carere cogebatur, donec ab illo morbo eſſet purgatus, neque interea loci jus ad ſuam domum amiſit: ita Dei filius adoptivus, adulterii, homicidii, aut cujuſcunque atrocis peccati lepra corruptus, non poteſt quidem cœlum ingredi, niſi per fidem & pœnitentiam renovatam ab hac contagione prius repurgetur: & tamen jus ejuſdem hæreditarium interim non extinguitur.

Porro

Porro nec illa universalis & propriissime dicta Justificatio [quam depingit Apostolus Rom. 3. 24. 25.] irrita redditur interveniente reatu particularis peccati, licet atrocis, & conscientiam graviter sauciantis. Nam huic justificationi è diametro opponitur, non quilibet reatus cujuscunque peccati, sed reatus universalis omnium peccatorum nondum expiatus, nec reatus cujusque personæ, sed reatus incredulorum Christi sanguine nondum ablutorum, nec cujusvis mensuræ reatus, sed reatus talis, propter quem odium Dei hostile personæ reæ superincubit. Qui semel vera fide justificatus est, nunquam erit postmodum hoc modo reus.

Dicere itaque possumus,

Effectum

Effectum juſtificationis interveniente particulari tali peccato ad tempus ſuſpendi: quia perſona ex hoc novo reatu indiget particulari abſolutione. At dicere non poſſumus, Statum juſtificationis diſſolvi: quia eadem perſona non excidit ab univerſali peccatorum præcedentium remiſſione, non privatur ſpeciali illa, quam credentibus omnibus Chriſtus promiſit, interceſſione, nec gratuita Dei patris ſui dilectione.

Par ratio eſt adoptionis, Nunquam enim Deus in Chriſto adoptat ſibi filium, quem poſtea exhæredare, & è familia ſua ejicere aut cogatur aut conetur. Peccare quidem poſſunt, & graviter, Filii Dei: ira tamen eos peccare, ut orbentur patria & patre cœleſti

cœlesti minime patietur Dei providentia & misericordia. *Servus non manet in domo in æternum, filius autem manet in æternum.* Nam [ut loquitur Ambros.] *donum adoptionis Deus non rescindit.*

Joh. 8. 35.

Ambr. de Iacob. & Vita Beat. lib. 1. cap. 6.

Denique, semen regenerationis, cum fundamentalibus illis donis, sine quibus vita spiritualis non consistit, salva conservantur. Hoc inde clare patet, quod idem Spiritus Sanctus, qui hoc semen cordibus renatorum infundit, eidem semini vim imprimit cœlestem & incorruptibilem, eandemque perpetuo fovet, & custodit. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum*

Joh. 4. 14.

1 Joh. 3. 5.

non

non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet. Manente in iis hoc vitæ ſemine, vivæ fidei, & charitatis dona prorſus extingui eſt plane impoſſibile. Hinc vero Gregor. *In Sanctorum cordibus, ſecundum quaſdam virtutes ſemper manet Spiritus: ſecundum quaſdam receſſurus venit, & venturus recedit. In his virtutibus, ſine quibus ad vitam non pervenitur, in electorum ſuorum cordibus permanet.* Greg. mor. lib. 2. Cap. 42.

VII.

QVod renati prorſus non excidant à fide, ſanctitate & adoptione, minime oritur ex ipſis, aut ipſorum voluntate, ſed ex ſpeciali Dei amore, divina

operatione, Christique intercessione & custodia.

CErtum est, si Deus stricto jure nobiscum agere vellet, posse eum justissime paternum suum favorem, gratiæque salutiferæ dona nobis ob ingratitudinem & proterviam nostram subducere, Sed cum ipsius Scholæ Decreto *peccatum non tollit gratiam effectivè, sed demeritoriè*; nisi evincatur, Deum cum suis agere secundum mala eorum merita, haud consequetur, ex admissione atrocis alicujus peccati fidem eos amittere, aut justificationis & adoptionis statu excidere. Nam quod nostro merito malo juste fieri posset, id boni Dei misericordia, & Christi intercessione,

ne, ac Sp. Sancti operatione ne fiat, impeditur. *Nulla creatura poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro:* Non Diabolus: *Hunc enim Deus conteret ſub pedibus noſtris.* Non mundus: *Hunc enim Chriſtus vicit*; & ita operatur in omnibus ſuis, ut ipſi quoque per fidem tandem victores evadant. Non denique [unde maximum nobis immines periculum] propria noſtra infirmitas, aut liberi noſtri arbitrii in malum proclivitas & flexibilitas. Nam Dei virtus in hac fidelium infirmitate ſemper oſtenditur, & per Chriſti interceſſionem pro iiſdem, ne deficiant à ſua fide, ſemper obtinetur. *Ego rogavi pro te ne deficiat fides tua. Non tantum pro iis rogo,* ſed & pro

Rom. 8. ult.
Rom. 16. 20.
1 Joh. 5. 4.
Luc. 22. 31
Joh. 7. 20

pro *iis, qui credituri ſunt per ſermonem eorum, &c.* Perſeverantiam igitur fidelium in fide & Dei gratia, non arceſſimus ab eorum libero arbitrio, ſed ab eorum liberatore Chriſto.

2 Tim. 4. 8. *Liberabit me Dominus ab omni opere malo, & ad cæleſte regnum ſuum conſervabit me.*

Aug. de Bono Perſiv. cap. 6. Huc ſpectant illa apud Auguſt. *Tutiores vivimus ſi totum Deo damus, non autem nos illi ex parte & nobis ex parte committimus.*

Ibid. cap. 7. *Sicut ipſe operatur ut accedamus, ſic & ipſe operatur, ne diſcedamus.*

VIII.

VIII.

PErseverantia itaq; Sanctorum est gratuitum Dei donum, & ex decreto Electionis ad nos derivatum.

COnclusio hæc ex iis omnibus, quæ jam dicta sunt, enascitur. Verum ut clarius constet, paucula adjungemus.

Primo, quod sit donum Dei gratuitum, evincitur ex illis Apostoli verbis, *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Si res ulla justam gloriandi causam hominibus præbeat, ea profecto est constanter in bono usque ad finem perseverasse, etiam tum 1 Cor. 4. 7.

cum potuerint mediis ad perseverandū sufficientibus pro arbitrio non uti. Aut igitur hoc singulari munere datur fidelibus, aut habent aliquid quod non acceperunt, in quo magnifice glorientur. Nos autem è contra asserimus, sive per perseverantiam intelligi velimus ipsam vim statuminantem & suffulcientem fideles, sive ipsam stabilitatem, & invictam fidei firmitatem, sive denique ipsum actum perseverationis, nihil horum esse quod non sit donum Dei.

In respons. ad Walach. pag. 75.

Quod ad vim attinet, qua sulcitur voluntas, ut possit perseverare, Remonstrantes haud gravate concedunt, solam Dei gratiam esse, quæ hominem hisce viribus ad perseverandum instruit.

Quod attinet ad ipsam stabilita-

bilitatem & firmitatem, quæ consideratur ut modus vel adjunctum veræ fidei, hoc etiam in donis Dei numerandum est. Nam qui dat ipsam rem, nempe fidem, ille & modum rei simul dat, puta stabilitatem ejusdem fidei, sive firmitatem, *Fidelis est Dominus qui stabiliet vos. Nullo dono destituti estis, sed expectatis revelationem Domini nostri Iesu Christi, qui confirmabit vos usque ad finem inculpatos.* Ex quibus dictis patet, Fidem esse donum Dei, tam in suis incrementis & stabilitate, quàm in suis initiis, & quasi tenella ætate. Denique, si sanas loquendi formulas ex Scripturis petere cupiamus, ipsum actum perseverationis nostræ donum quoque Dei appellemus oportet; Nam si Scriptura

2 Thes. 3. 3
1 Cor. 1. 7. 8.

tura non modo ipſam fidei qualitatem donum Dei ap-
Phil.1.19 pellat, ſed τὸ πιστεύειν gratuito hominibus donatum pronunciat, tum etiam & nos debemus non modo perſeverantiam, ſed & ipſum perſeverationis actum Deo acceptum referre. Hoc in loco allegato clare docetur, ubi Apoſtolus ait, non modo datum fuiſſe Philippenſibus credere in Chriſtum, ſed etiam pati pro Chriſto: quod quid aliud eſt, quam ſub cruce in fide Chriſti perſeverare? In hanc
In Epiſt. Hillarii ad Auguſt. ſententiam Auguſtinus: *Aſſerimus donum Dei eſſe perſeverantiam, qua uſque in finem perſeveratur in Chriſto.* Et inter Maſſilienſium errores refertur, quod negaverint dari cuiquam talem perſeverantiam, *à qua non permittitur prævaricari.*

cari. Quem errorem refellit Augustinus de Bono perseverant. cap. 6. Aug. de Bono Perseu. cap. 1.

Jam restat, ut hoc donum perseverantiæ ab Electionis fonte dimanare ostendamus. Cui rei firmandæ unicum hoc argumentum afferemus.

Quod datur ex efficaci intentione infallibiliter servandi illam personam, cui donatur, illud ex decreto electionis dimanare manifestum est. Quid enim aliud est aliquem eligere, quam eundem ad salutem infallibiliter consequēdam ordinare: jam vero ea est vis & natura hujus doni, ut ne cogitare quidem possimus, cuiquam à Deo destinatam aut donatam esse perseverantiam, nisi ex intentione prævia eundem ad salutem infallibiliter ordinandi & perducen-

di. Quicquid enim commodi ex quocunque divino beneficio ad quemvis redundat, id totum absque dubio beneficii autor in eum conferre decrevit, cui idem beneficium impartiri dignatus est. At ex immota Dei ordinatione, quisquis perseveraverit, salvus erit. Ergo cuicunque Deus dare voluit perseverantiam, manifestum indicium est, eundem antecedenti Dei decreto ad salutem fuisse destinatum. Huc spectat illud Matth. 24. 24. Ubi seductionis impossibilitas quoad certas personas Deo notas in prævia eorundem electione fundatur. Et illud Pauli Rom. 11. 5. Ubi pauculorum reservatio qui à Deo non defecerunt, secundum electionem gratuitam facta esse dicitur.

De

De his vide plura apud Auguſtin. de Bono Perſev. Cap. 17.

De Perseverantiæ certitudine quoad nos.

THESIS I.

Quivis fidelium poteſt certo eſſe perſuaſus, quod per miſericordiam Dei Patris ſui ſit in vera fide conſervandus, & ad æternam ſalutem perducendus.

De perſeverantia egimus, quoad certitudinem objecti, nunc de eadem agendum quoad certitudinem ſubjecti; nempe, quatenus rem in ſe

ſe certam, etiam nos, in quibus perficitur, pro certa ac infallibili apprehendimus. Quēvis fidelium dum in hujus beneficii ſortem admittimus, hoc non paucis indultum privilegium, ſed fidelibus omnibus, qua fidelibus, attributum, iiſque quarto modo proprium aſtruimus.

Poſſe autem potius, quam ſemper actu eſſe ita perſuaſum dicimus, quia certa hæc perſuaſio, etſi ex ipſa fidei natura emergat, non tamen ſemper, prout poteſt, ac debet, actum ſuum exerat, ſed nonnunquam ſupprimatur, ut paulo poſt dicemus. Verum tamen hic aſſerimus, quemvis vere fidelem intus apud ſe *& ſemper & ad ſemper* fundamentum hujuſmodi habere in promptu firmum ſatis, cui, ſi recte

recte ſtatum ſuum, divinamque promiſſionem & cuſtodiam penſitet, ſuperſtruere poſſit actualem hanc πληροφοριαν de ſua in fide ad ſalutem æternam conſervatione.

1. *Deo*, propter gloriam ſuam non eſt ſatis, nos conſervare, niſi etiam nos de hac ſua conſervatione faciat certiores. *Benedictus Deus cujus virtute cuſtodimur per fidem in ſalutem.* 1 Pet 1. 3. Non autem benedicimus Deum de iis, quæ nobis ſunt incomperta. Chriſto non erat ſatis, pro Petri perſeverantia orare, unde effectum in ſe erat infallibile; niſi etiam Petrus id ipſum ſciret, unde firma ejuſdem perſuaſione frueretur. *Oravi pro te, Petre, ne deficeret fides tua.* Luc. 22. 32.

2. *Nobis*, propter ſolatium noſtrum, non eſt ſatis in Eccleſiæ

cleſiæ navi poſitos verſus ſalutis portum tendere, niſi etiam firmiter perſuaſum habeamus, nulla tempeſtate poſſe nos à portu optato ſecludi. Noacho non ſatis erat Arca includi, ſed etiam ad fiduciam ipſius confirmandam contra naufragium divina promiſſione munitus erat, *Ponam fœdus*
Gen. 6. 18 *meum tecum, & ingredieris Arcam, &c.*

3. Hæc perſuaſionis certitudo promanat ex ipſa fidei ſpecialis natura, utpote quæ fertur non tantum actu directo in rem promiſſam, ſed & actu reflexo in ſuam apprehenſionem. De priori actu,
Rom. 5. 1. illa; *juſtificati per fidem, pacem*
Joh. 10. 28. *habemus erga Deum. Oves meæ non peribunt in æternum.* De poſteriori, illa; γινώσκομεν ὅτι ἐ-
1 Joh. 5. 10. γνώκαμεν αὐτ. Item, *Qui credit in Filium*

Filium habet teſtimonium Dei in ſe. Item, *Nos accepimus Spiritum, qui ex Deo eſt, ut ſciamus, quæ à Deo donata ſunt nobis.* Ergo omnis vere fidelis per intimum fidei ſuæ actum credit ejuſdem fidei ſuæ conſervationem. 1 Cor. 2. 12.

4. Idem ſtabilitur ex fidei hujus teſtimoniis. Inſigne τεκμήριον eſt ſpirituale gaudium. *Credentes exultatis gaudio ineffabili & glorioſo.* Gaudium autem hoc non eſt evanidum. *Gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* Item, Spiritualis gloriatio. *Habemus acceſſum per fidem in gratiam iſtam, in qua ſtamus, & gloriamur in ſpe gloriæ* filiorum *Dei.* Hæc autem gloriatio fertur in objectum ſuum, ut præſens & jam comprehenſum, etſi reipſa futurum. Sic Chryſoſtomus [in locum] 1 Joh. 5. 10. 1 Cor. 2. 12. 1 Pet. 18.

Joh. 6. 22. locum] *Gloriatur quis ſuper iis, quæ in manu jam habet. Quo-*
Rom. 6. 2. *niam igitur rerum futurarum ſpes ita firma eſt atque evidens, ut jam daturum, æque, inquit Apoſtolus, & ſuper illis gloriamur.*

5. Denique, hanc non modo perſeverantię, ſed & perſeverantis certitudinem probat mutua inter Deum & fideles oppignoratio, illinc depoſiti noſtri in Dei manu cuſtoditi, hinc arrhæ divinæ cordibus noſtris inditæ. Utrumque pignus non ad utriuſque, ſed ad unius tantum partis ſecuritatem datur, nempe, noſtri. Utrumque licet utrimque poſſideatur, tamen unius tantum partis fidelitate cuſtoditur, nempe Dei. De priore
2 Tim. 1. 12. Paulus, *Non confundar: ſcio enim, cui credidi: & certus ſum quia potens eſt ſervare depoſitum meum*

meum in illum diem. Depositum: ibi pignus salutis; Potens servare: ibi custos firmus: Scio, & certus sum: ibi fides. Non confundar: ibi fiducia.

De posteriore penes nos sito idem Apostolus. *Credentes signati estis Spiritu promissionis S. qui est arrhabo hæreditatis nostræ.* Item, *dedit arrhabonem Spiritus in cordibus nostris.* Quod si Deus hac arrha nobis prius data, reliquam hæreditatis possessionem consequenter non adjiceret, ipse arrhæ perditæ damnum pateretur; ut eleganter, simulque solide infert Chrysostomus,

Ephes. 1. 14. 2 Co. 22.

οὐ γὰρ, εἰ μὴ ἔμελλε τὸ πᾶν διδόναι, εἵλετο ἂν τὴν ἀῤῥαβῶνα παραχεῖν, καὶ ἀπολέσαι εἰκῆ, καὶ μάτην.

Chryso. Homil. in 2. co. 1.

Idem, Οἱ ὄντως πνεύματος μετέχοντες, ἴσασιν ὅτι ἀῤῥαβὼν τῆς κληρονομίας ἡμῶν ἐστι.

Idem Homil. 2. in Ephes. 1.

II.

II.

EXtra ſtudium ſanctitatis, & uſum mediorum, non poteſt in actum exire hæc fidei perſuaſio.

PErſeverantiæ donandæ, ac vitæ æternæ adipiſcendæ firmam perſuaſionem, ad ſolam quidem Dei miſericordiam ac Chriſti interceſſionem, ut cauſam, referimus; ita tamen ut ad ſanctificationem, ut comitem individuam, ac certum indicem, ſimul remittamus. Hoc ipſum ſolidæ fidei indicium ponitur; *In hoc*
1 Joh. 2. 3. *ſcimus, quod cognovimus eum, ſi mandata ejus ſervemus.* Hæc juſtificationis quaſi propria paſſio deſcribitur. *Nulla con-*
Rom. 1. 1. *demnatio iis, qui in Chriſto ſunt, qui*

qui non ſecundũ carnẽ ambulant.

Hanc autem ſanctitatem, non gradu, ſed ſtudio, ſive propoſito metimur; ipſamq; & ſanctitatem & fidei perſuaſionem precatione, jejuniis, vigiliis, membrorum mortificatione, aliiſque mediis à Deo inſtitutis promoveri, & firmari poſſe ac debere pronunciamus. *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem, Caſtigo corpus meum; ne efficiar rejectaneus.* Interim tamen ſtudium hoc & pium horum mediorum uſum, ita inter noſtra liberatę voluntatis curricula recenſemus, ut ſimul inter gratiæ adjuvantis auxilia, & Spiritus S. inhabitantis motiones numeremus. Marc. 16. 28. 1 Cor. 9: 27.

Hanc autem, de qua loquimur, firmam perſuaſionem, conſtat ſine his non emergere. 1. Quia

1. Quia juſtificationis comes ſanctificatio non conſiſtit extra obedientię propoſitum. Quod quidem propoſitum habituale, licet multis interruptum lapſibus, ſufficit electis ad ſtatum juſtificationis in ſe ſalvum cuſtodiendum; ad præſentaneum autem fiduciæ ſolatium neceſſario requiritur hujuſmodi propoſitum actuale. Nec poteſt quiſquam ex Spiritus teſtimonio ad cor ſuum loquente dicere, Ego jam firmiter credo me in ſtatu gratiæ indefectibiliter perſtitutum: niſi ſimul ex ſinceri cordis ſtudio adjiciat, Ego jam firmiter ſtatuo in Sanctorum Dei mandatorum viis ambulare.

Multo minus cogitare poteſt vivus hujuſce fiduciæ actus ſtare cum actuali & directo

cto peccandi propoſito : cum, ut habitus habitui, ita actus actui opponatur. Nec ſine infulſa contradictione quenquam fingemus ita ſtatuentem, Ego vitam æternam mihi eripi non poſſe plane confido. Simul tamen mihi decretum eſt, illecebroſis cupiditatibus inſervire, Hęc ἀνύσατα eſſe oſtendit Salvator, *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire.* Mat. 6.24.

III.

Perſuaſio hæc non habet illum certitudinis gradum, qui omnem contrarii formidinem perpetuo excludat: ſed aliquando vivida eſt, aliquando languida, aliquando, ut in graviſſimis tentationibus, nulla. In

IN donis ſpiritualibus, quibus in hac vita imbuimur, ſpectanda ſinceritas, non expectanda graduum perfectio: etiam illud, quod reliquis omnibus arripiendis eſt manus, ſuos habet morbos, & debilitates, ita ut ſummo certitudinis gradu non ſemper fruatur fidelium de ſua ſalute perſeverantiaque perſuaſio.

Prima debilitas oritur, ex ipſa ſundamentali hujus perſonalis fiduciæ dependentia, quæ infra fidei dogmaticæ certitudinem videtur ſubſidere. Aſſenſum quippe noſtrum afficiunt fidei Catholicæ Articuli, ut principia immediata, ac prima. Fidei autem ſpecialis veritas, non inde deducitur, ut quiddam neceſſario conſequens, ſed tantum ſubjũgitur per modum aſſumptionis.

ptionis. Ergo illius, quæ hanc perſuaſionem facit, concluſionis non poteſt eſſe firmitudo major, quam quæ præmiſſarum debiliori ineſt. Subſumptio autem illa experimentalibus nititur indiciis perprivatam hominis conſcientiam penſitatis. Quæ cum nonnunquam in dubium vocentur, an ſint ſigna genuina, ſæpe autem tentationum nube occultentur, ne ad præſens ſolatium effulgeant; quid mirum ſi non ſemper in promptu ſit vegeta & valida fidelium de ſua æterna ſalute perſuaſio.

Quid quod etiam ipſa fidei Catholicæ principia, utcunque revelationis lumine in ſe clara, cum tamen per certitudinem, non evidentiæ, ſed tantum adhæſionis nobis innoteſcant, non adeo æquabilem

lem apud eos ſortiuntur aſſenſus firmitatem, qualem demonſtrationes Mathematicæ, aut communes Notiones. Sed in iis ipſis intuendis, ex noſtræ carnalis diffidentiæ reliquiis quaſi vapores oboriuntur aliquando, per quos divinæ immutabilis veritatis lumen refringi nobis videtur, ac vacillare. Quanto crebrior ac diuturnior eſt in perſonali ſua fiducia intuenda hallucinatio ſingulorum fidelium? Quorum quidem oculi ſemper vacillarent, niſi & hanc communem fidei Catholicæ revelationem, & illam propriam ſubſumentis conſcientiæ applicationem firmaret, & cordibus noſtris obſignaret Spiritus Dei, qui teſtimonium perhibet *Spiritui noſtro nos eſſe filios Dei*. Hoc autem ipſum Spiritus

Spiritus teſtimonium, etſi nunquam ſemen ipſum prorſus extinguatur, quoad fructum tamen & ſenſum, aliquando vel ſe ſubducit, ut nobis pateat infirmitas noſtra; vel ad tempus noſtra rebellione & ingratitudine obruitur.

Altera itaque debilitas oritur ex tentationibus, quibus hæc perſuaſio oppugnatur. Eæ ſunt partim afflictiones, quæ malum pœnæ videntur intentare, partim perverſę noſtræ concupiſcentiæ, quæ malum culpæ reatumque imprimunt; partim Diaboli laquei & inſultus, quibus nos utroque in genere infeſtat: præcipua vero palæſtra eſt in carnis & Spiritus colluctatione. Durante hac lucta languida eſt fides. Quod ſi vincat

Spiritus carnem, tum vivida
Rom. 8. 35. eſt, ac triumphum canit, *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?* Sin, quod ſæpe fit, delaſſatus, & fractus ad tempus ſuccumbat Spiritus, vel afflictionum mole oppreſſus, vel graviorum peccatorum maculis ſordidatus, nulla tum reſtat actualis hujuſmodi perſuaſio, ſolatium omne ſpirituale intercluditur, divinique vultus lumen abſconditur. Hinc illæ Sanctorum querulæ voces, Job 6. 4. *Sagittæ Domini in me ſunt, quarum indignatio ebibit Spiritum meum, & terrores Domini militant contra me.* Threnor. Cap. 3. 42. *Nos inique egimus, & ad iracundiam provocavimus. Idcirco tu inexorabilis es, oppoſuiſti nubem tibi, ne tranſeat oratio.* Quod ſi altius ſurgant tentationum

tionum fluctus, & conſcientiam ſuo onere preſſam etiam vulnerent ignita Diaboli tela, tum non modo exulat ſuavis hæc perſuaſio, ſed prorſus contraria ſuccedit. Qua ſancti turbati Deum, ut iratum, apprehendunt, ac in apertas Inferorum portas ruituri ſibi videntur. Hoc monſtrant pene deſperabundæ illæ voces Jobi. 3. 2. *Pereat dies in qua natus ſum.* Davidis pſal. 31. 32. *dixi in exceſſu mentis meæ, Projectus ſum à facie oculorum tuorum.*

IV.

POstquam fidelis ex hujusmodi tentationibus eluctatus est, actus ille, quo apprehendit paternam Dei erga se misericordiam, vitamque æternam sibi infallibiliter conferendam; non est actus incertæ opinationis, aut spei conjecturalis, cui falsum subesse potest, sed veræ & vivæ fidei per adoptionis spiritum in ejus corde excitatæ & obsignatæ.

UT in natura, sic etiam in gratia, nube pulsa clarior it dies; & morbi quidam sunt in posterum salutares: Fidelis

lis è gravium tentationum fluctibus emergens, non modo eandem, quæ pene suffocata erat, fiduciam resuscitat, sed & majorem ejus gradum acquirit, fit enim & ab exercitio fortior, & à victoria lætior. Quod si ea in lucta etiam ossa illi fuerint confracta, in nodum firmiorem consolidabuntur. Psal. 51. 10. *Exultabunt ossa humiliata.*

1. Quia hominis regeniti vita & status est spiritualis, & quasi contra naturam distinetur, dum peccati aut tentationis vi abripitur. Itaque Spiritus facile ad ingenium suum redit, & priorem suam de Dei misericordia paterna fiduciam recognoscit. Hoc ex Sanctorum exemplis constat, qui luctas suas vehementiores in vivam fidei vocem desinen-

tes expreſſerunt. Jonas in ventre Ceti, *Abjectus ſum à conſpectu oculorum tuorum: verumtamen rurſus videbo Templum Sanctum tuum.* Paulus, *Infelix ego homo, quis me liberabit à corpore mortis huius? Gratia Domini Ieſu Chriſti.* In utroque luctam ſubſequens eluctatio in actum fidei firmum erumpit.

Jon. 2. 5.

Rom. 7. 24.

2. Quia anima anhela, & reconciliationem paternam ſitiens, ad aquæ vivæ fontem avidius accurrit, & ſuavius guſtat, qua aliquantulum ſe privari ſenſit, placati Dei fruitionem. Inde fidei ſemen in ſe agnoſcit, cujus vi ad ipſas fidei ruinas reſarciendas exurgit. Ejus quidem radix ipſa concuſſione creſcit, & novas fibras emittit: unde majoris certitudinis propagines ſuccreſcunt.

creſcunt. Ex hac colluctatione & afflictione patientiam diſcit, qua ſe domat; *ex patientia probationem*, qua ſe explorat: ex *probatione* ad *ſpem* aſcendit de futuris tentationibus ſimiliter ſuperandis; 2 Cor. 1. 10. *Qui de tantis periculis nos eripuit, & eruit: in quem ſperamus, quoniam adhuc eripiet.* De perſeverantia, adeoque vita æterna conferenda. 1 Cor. 1. *Confirmabit vos uſque in finem inculpatos in diem Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Hæc autem ſpes non confundit, ut ibidem ſequitur apud Apoſtolum. Non eſt itaque vaga opinio, aut incerta conjectura; ſed ſpes, quæ, ut à fide orta, eandem habet cum fide certitudinem, ideoque ſolida eſt, ac infruſtrabilis. Rom. 5.

Renovatæ hujus confir-

matæque fiduciæ exemplum habemus in Davide, poſt maculam gravis peccati ablutam Pſalm. 51. Poſt tentationis periculoſæ retuſum impetum Pſal. 73. In utroque elucet Spiritus precum, gaudium ſpirituale, & obſignatio adoptionis. *Spiritum ſanctum à me ne auferas. Tenuiſti manum dextram meam, &c.* Inde fiducialis illa concluſio; *Mihi autem Deo adhærere bonum eſt, ponere in Domino ſpem meam.*

THESES HETERODOXÆ, QUAS REJICIMUS.

THESIS I.

PErſeverantiam vere fidelium non eſſe effectum Electionis, ſed beneficium

um omnibus ſub hac conditione ex æquo oblatum, nempe ſi gratiæ ſufficienti non defuerint.

PRimum hujuſce Theſeos membrum confutavimus in Theſibus noſtris de 1. Articulo, Orthodoxa 3. & Heterodoxa 3. Item in hoc 5. Articulo Theſi 8. Orthodoxa, de Perſeverantiæ certitudine, quo ad rem.

Secundum ejuſdem membrum multa numerat abſurda.

1. Falſum eſt, perſeverantiam eſſe donum tantum oblatum, non etiam datum. Scripturæ enim teſtantur Deum gratiam perſeverantiæ ſuis non tantum offerre, ſed etiam dare, ac ipſorum cordibus indere. Jer. 32. 40. *Timorem meum dabo in corda ipſo-*

rum, ut non recedant à me. Joh. 4. 14. *Aqua, quam ego dabo illi, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* 1 Cor. 10. 13. *Sed una cum tentatione dabit etiam exitum.*

2. Falsum est, idem ex æquo omnibus offerri, ut patet ex nostris de Artic. 1. Thesibus supra citatis. Ubi perseverantiam in fide ad solos electos pertinere probavimus.

3. Falsum est, perseverantiam esse Donum sub conditione oblatum. Est enim donum a Deo absolute promissum sine ullo conditionis respectu. Ratio hæc est: promissiones Dei aliæ sunt de fine, aliæ de mediis ad finem; Promissiones de fine, verbi gratia, de salute sunt conditionatæ. *Crede, & salvaberis. Esto fidelis ad mortem,* [seu perseverа]

ſevera] *& ego dabo tibi coronam vitæ.* Cum autem nemo par ſit conditionibus præſtandis, Deus quoque promiſſiones fecit liberrimas & abſolutas de dandis ipſis conditionibus; quas ipſe in nobis efficit, ut per ipſas, tanquam media, poſſimus ad finem pertingere. Deu. 36. 6. *Deus circumcidet cor tuum, ut diligas Dominum Deum tuum, ex toto corde & tota anima tua, ut vivas.* Finis hic promiſſus eſt vita, quem Iſraelitæ nunquam aſſequentur, niſi præſtita hac conditione, nempe Dei dilectione. Verum Deus hic abſolute promittit, ſe daturum illis ipſam conditionem.

Cum itaque promiſſiones de fide & perſeverantia in fide, ſint promiſſiones de mediis, omnino ſunt de donis abſolu-

absolutis, quibus Deus, perspecta hominum ἀδυναμία cum de assequendo fine sine mediis, cum de ipsis mediis seu conditionibus ex se præstandis, pollicetur se effecturum, ut conditiones ipsas præstent. Deus vitam spondet constanter ipsum timentibus. Promissio de vita est conditionata: de constanti autem timore absoluta. *Timorem meum dabo in corda ipsorum, ut non recedant à me.*

4. Esto donum hoc conditionatum. Non tamen offertur sub hac conditione si gratiæ sufficienti non defuerint. Contra hanc conditionem militant illæ rationes, quæ à nobis allatæ sunt contra vires Liberi Arbitrii in hominis conversione. Quibus & has addimus.

1, Ex

1. Ex hac conditione ſequetur, fruſtra nos pro ullis hominibus orare Deum, ut det ipſis donũ perſeverantiæ: quia de more offert illis univerſalem, & ſufficientem gratiam, cui ſi nolint ipſi deeſſe, perſeverabunt.

2. Otioſa eſt hæc conditio, facit enim perſeverantiam conditionem perſeverantiæ. Non enim deeſſe gratiæ ſufficienti eſt perſeverare. Si itaque ſub hac conditione Deus perſeverantiam offerat, offert eandem ſub ſui ipſius conditione.

Denique ſecundum hujus antitheſeos membrum ſolide ab Auguſtino convellitur, Cujus diſputationis hæc ſumma eſt; *Adæ fuit datum, ut poſſet, ſi vellet, in bono perſeverare; ſed non fuit datum ut vellet.* *Aug. de Correp. & Grat. c. 11. & 12.*

let. Nobis vero, qui vere Chriſto inſiti ſumus, talis data eſt gratia, ut non ſolum poſſimus, ſi velimus; ſed etiam, ut velimus in Chriſto perſeverare.

Item de unitate Eccleſiæ cap. 9. idem Auguſtinus ipſiſſimam hanc vocem in Donatiſtis damnat, *Si volunt homines, credunt: ſi nolunt, non credunt: ſi volunt, perſeverant in eo, quod credunt; ſi nolunt, non perſeverant.*

THESIS

THESIS II.

PErseverantiam esse conditionem novi fœderis antecedaneam ad Electionem.

VIde 2. & 1. Theses Heterodoxas à nobis in 1. Articulo rejectas.

THESIS III.

VEre fidelem posse peccare in Spiritum Sanctum.

Thesin hanc hæ rationes oppugnant.

1. Peccare

1. PEccare in Spiritum Sanctum est peccare ad mortem, 1 Joh. 5. 16. Vere fideles *non possunt ad mortem peccare.* Quia peccare ad mortem, est illud peccatum admittere, ex quo certa mors sequetur, nempe æterna & secunda : quæ tamen nunquam potestatem habet in vere fideles : utpote qui peccato moriuntur, & à peccatis resurgunt ad vitæ novitatem. Apoc. 20. 6. *Beatus & sanctus, qui habet partem in prima resurrectione : in tales secunda mors non habet potestatem.*

2 Qui peccant in Spiritum Sanctum illi nunquam pervenient ad gloriam aut regnum cœleste : ad quod tamen vere fideles infallibiliter perveniunt. Esse enim vere fidelem idem est quod esse justificatum,

tum, ac filium Dei adoptivū. Juſtificati autem ad gloriam pervenient. Rom. 8. *Quos juſtificavit, hos glorificavit.* Et filii adoptivi pervenient ad regnum cœleſte. Gal. 4. 7. *Si filii, etiam hæredes Dei.*

3. 1 Joh. 3. 9. *Quiſquis natus eſt ex Deo,* qualis eſt omnis vere fidelis, *peccatum non poteſt facere:* quod (interprete Apoſtolo, verſ. 8. *Qui peccatum facit, eſt ex Diabolo*) intelligendum eſt de iſtiuſmodi peccatis, quæ conſtituunt hominem ſub regno & poteſtate Diaboli, quale cum primis eſt peccatum in Spiritum Sanctum.

Quo ſpectat illud quoque Apoſtoli, *Liberabit me Dominus ab omni opere malo, & ad cœleſte regnum conſervabit me.* 2 Tim. 4. 18. Quid? an ab omni omnino opere

opere malo? Non id quidem. Sed ab omni tali opere malo, quod ipsi jus ad regnum cœleste prorsus adimat: Cujusmodi proculdubio, propter non modo malitiam insitam, sed & finalem adjunctam impœnitentiam, est peccatum in Spiritum Sanctum.

THESIS IV.

NVllum vere fidelem ac regenitum posse esse certum in hac vita de sua perseverantia ac salute, absque speciali revelatione.

DE priore hujus Antitheseos parte, actum prius in hoc Articulo. Perseverantiam autem de futuro posse sine revelationis specialis privilegio

legio innoteſcere, hic probatur hac ratione: Quoſdam Sanctos, præſertim Paulum, hanc certitudinem adeptos in confeſſo eſt, Rom. 8. *Certus ſum, quod neque mors, neque vita, &c.* Atqui Paulus ipſe hanc fiduciam non à revelatione extraordinaria petiit, ſed à rationibus illis, quæ ipſi cum aliis fidelibus ſunt communes, verſ. 32. *Qui proprio Filio ſuo non pepercit; ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo nobis omnia donabit? Quis accuſabit adverſus electos Dei? Deus eſt, qui juſtificat, Chriſtus eſt, qui interpellat pro nobis.* Nunquid ſoli Paulo, non item aliis fidelibus, datus Chriſtus? Num ſolus Paulus electus Dei? Num ſolum Paulum Deus juſtificat? aut pro ſolo Paulo

lo Christus interpellat? Cum ergo ex his præmissis toti Electorum Ecclesiæ communibus, ibidem subinferat Apostolus Conclusionem fiducialem *Quis nos separabit? & certus sum, &c*, constat alios etiam fideles, quibus jus est ad eadem media salutaria, posse inde hanc haurire, & sibi applicare πληροφοριαν de sua salute & perseverantia. Eandem conclusionem fidelis quisque potest ex aliis ordinariis præmissis inferre.

1. Ex Dei fidelitate, 1 Corinth. 10. 13. *Fidelis est Deus, qui nos sinit, &c.* 2. Ex experientia prioris benevolentiæ, Phil. 1. 6. *Persuasum habens, hoc ipsum fore, ut qui incæpit opus bonum, perficiat.* 3. Ex bonorum operum praxi in fide præstitorum.

2 Pet.

2 Pet. 1. 10. *Si enim hæc feceritis, nunquam excidetis*: quæ autem illa sint, constat ex ver. 5. & 6. 4. Ex testimonio conscientiæ, 1 Joh. 3. 31. *Si cor nostrum nos non condemnat, fiduciam habemus apud Deum.* 5. Ex testimonio anteactæ vitæ. 2 Tim. 4. 7. *Bonum certamen certavi, &c. deinceps mihi reposita est corona.* Ultimo, hæc omnia obsignat testimonium Spiritus Dei, Rom. 8. 16. *Spiritus Dei attestatur Spiritui nostro, &c.*.

Hæc & similia media singulis patent fidelibus. Ergo & Conclusio.

Quod si hæc certitudo ab extraordinaria tantum revelatione profluëret, frustra moneret Petrus omnes fideles, *Date operam ut electionem vestram firmam reddatis.* 2 Pet. 1. 11.

THESIS

THESIS V.

QVoties grave carnis peccatum committitur, toties ſtatum juſtificationis & adoptionis amitti.

Contra hanc Antitheſin militant, præter alias, hæ rationes.

NOn poteſt homo ullo peccato actus divinos reſcindere. At juſtificatio & adoptio ſunt actus divini, iique ex beneplacito emanantes. Ergo, &c. Cum itaque quæritur, An per peccata carnis gratia juſtificans poſſit intercidi, non ſolum quæritur, An homo per peccatum poſſit aliquam

liquam qualitatem amittere: ſed litem hanc oportet multo altius repetamus, An nimirum peccatum humanum poſſit actus divinos refigere, aut mutare illam Dei ſententiam, qua jam apud ſe Deus pronunciavit nos juſtos, & adoptavit in jus filiorum. Fruſtra autem hic obtenditur deficientia ſubjecti; cum Deus ſubjectum quod per ſe procul dubio deficeret, reficit continuo, dando ipſis perſeverantiam, ne poſſint deficere. *Vt enim cuſtodiat nos per fidem, cuſtodit etiam in nobis fidem ipſam* ut ſcite Reverend. Sarisburienſis. De veritate gratiæ.

2. Tantum abeſt, ut etiam gravia illa carnis peccata fidelem à ſtatu juſtificationis adoptioniſque ſemper deturbent, ut contra à Theologis, præſertim

sertim practicis, statuatur, Deum eadem sæpe in justificatis & adoptatis permittere, ut confirmatior postea sit ipsis cum justificatio tum adoptio, secundum illud Prophetæ Psal. 119. 72. *Bonum est mihi quod humiliasti me, ut discam justificationes tuas.* Hoc non modo in Davidis, sed etiam in Hezechiæ, & Petri lapsibus patet: quibus occasionaliter promotum est in iis studium sanctitatis, infirmitatis suæ agnitio, ac pro perseverandi dono vehementior Dei obsecratio. Concludimus itaque, Sanctorum lapsibus non abrumpi justificationem, aut amitti adoptionem, sed effici, ut resurgentes eo cautius *cum timore ac tremore salutem suam operentur.*

THESIS

THESIS VI.

Doctrinam de certitudine perseverantiæ & salutis, esse ex sua natura veræ pietati noxiam, & toti religioni perniciosam.

HAnc vero calumniam facile retundit & veritas divina, & humana experientia. Ista hæc, scilicet, Christiana de Perseverantia & Salute certitudo, non modo quoad rei naturam, sed etiam quoad ipsum in Ecclesia eventum, effectus, Deo benedicente, producit prorsus contrarios.

1. Quoad rei naturam, finis infallibilitas non tollit, sed stabilit usum mediorum. Iidemque sancti, qui certissi-

me ſibi ſpondent & conſtantiam in via, & fruitionem in patria, ſimul norunt hoc non præſtari ſine intermediis ſanctimoniæ officiis, & oppoſitorum fuga: ideoque mediis illis non valedicunt, ſed ſedulo incumbunt. 1 Joh. 3,3. *Omnis, qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificat ſe, ſicut & ille ſanctus eſt.* Eſai. 38. 5. Ezechias, accepto divino, de quindecim annis vitæ ſuæ adjiciendis, promiſſo, non ideo omnem medicamentorum, alimentorumque uſum abjecit, ſed ad ipſum eventum in actum producendum, cataplaſma ſibi à Propheta præſcriptum ulceri curando adhibuit.

Hanc carnalis ſecuritatis ex hac doctrina conſequentiam, prorſus reſpuit Apoſtolus quaſi indignabundus, Rom. 6.

Rom. 6. 1. *Permanebimus in peccato, ut gratia abundet? Absit, Qui enim mortui sumus peccato, quomodo vivemus in illo?* quasi non modo incongruitatem, sed & impossibilitatem innueret.

2. Quod ad eventum attinet, verum quidem est, posse veritatem quamlibet Dei saluberrimam ex hominum abusu in perversum rapi. At ex hac doctrina, ne de facto quidem, extare ullum hujusmodi incommodum agnoscimus. Contemplemur Ecclesias Reformatas, in quibus viget hæc perseverantiæ ac inviolabilis adoptionis fiducia, Nunquid inde concupiscentiis fræna laxantur? num pietas pessundatur? Gratias agimus Deo, per Dominum nostrum Jesũ Christum, quod apud nostros

qui hac ſolatii ſpecialis plena perſuaſione fruuntur, & ſibi inamiſſibilem in cœlis hæreditatem conſervari prorſus confidunt, non minor reperiatur pietatis cura, vitæque, prout fragilitas humana fert, inculpatæ ſtudium, quam apud alios quoſvis, qui ſuam à libero arbitrio ſuſpendunt perſeverantiam, nec ab ulla electione Dei prævia eandem profluere concedunt.

EXpoſuimus noſtram de celeberrimis hiſce Quinque Articulis ſententiam; quam credimus Verbo divino eſſe conſentaneam, & tot Reformatarum Eccleſiarum Confeſſionibus conformem. A quibus ut una hæc Belgica divellatur, nec tutum nec pium iis videbitur, quibus vel

mica

mica ineſt prudentiæ, vel veræ pietatis ſcintilla.

Hoc certe *Sereniſſ. noſter, ac Potentiſſ. Magnæ Britanniæ Rex, Fidei Chriſtianæ Defenſor*, ac propugnator longè acerrimus (qui etiam unice in votis habet, ut in florentiſſimis hiſce Provinciis fides ſincera, Eccleſiæque & Reipub. pax, ſarta tecta conſervetur) inprimis curavit, cum nobis, huc deſtinatis, in mandatis daret, ut publicam Eccleſiæ veſtræ pacem moderatioribus conſiliis pro modulo noſtro promoveremus, ac ut venerandos Symmyſtas in Synodo haccelebri coactos, hortaremur, ne quid in Decretis Synodicis, quod contraveniat receptæ doctrinæ, in tot publicis Eccleſiarum Confeſſionibus cõſignatæ, ſtatuatur.

Displicuit non ita pridem novatorum quorundam ingeniis hæc recepta doctrina; quam dum omni ope, & opera exagitare studuerunt, ea nihilomninus instar cœlestis cujusdam flammæ, ipso motu & concussione clarius emicuit. Nos quidem ex animo optamus hisce fratribus nostris Remonstrantibus τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς διανοίας πεφωτισμένους, animosque à pacis studio minime abhorrentes. Quinetiam & cæteris venerandis fratribus eam erga illos charitatem, ut quorum errores oppugnant, eorum personis bene velle non desinant.

Atque hic liceat nobis paulisper, ad Amplissimos & Præpotentes Ordines, eorumque Consultissimos Delegatos, omnesque adeo, qui ad

ad clavum Reipubl. in hoc Belgio ſedent, ſermonem noſtrum convertere. Veſtrum eſt Illuſtres DD. non minus curare, ne religio Orthodoxa, quam ne Reſpublica veſtrę fidei concredita, quicquam detrimenti patiatur. *In hoc enim Deo ſerviunt Magiſtratus, cum ea faciunt ad ſerviendum illi, quæ facere non poſſunt niſi Magiſtratus.* Hic itaque non pietate tantum, & exemplo, ſed poteſtate veſtra, & imperio opus eſt. Imperium coerceat illam *prophetandi*, uti vocant, *libertatem*; qua freti nonnulli, fundatiſſima fidei noſtræ dogmata primo leviter tentare ſolent, dein aperte impugnare, tandem explodere & exſibilare, Si Orthodoxam doctrinam, & communi omnium Eccleſiarum

Reformatarum calculo comprobatam cuivis liceat impetere; metuendum profecto erit, ne, qui, Magistratu connivente, res novas in Ecclesia moliri cœperint, eodem etiam repugnante, cum occasio ferat, idem quoque in Repub. moliantur. Sed minime opus habent nostra hortatione, qui jampridem ingenti labore & sumptu ea omnia procurant quæ ad renovandam & stabiliendam in hisce Ecclesiis pacem ac veritatem optari potuerunt.

Quorum ergo singularem prudentiam, pietatem, & industriam perspeximus, de eorundem constantia vel dubitare nefas putamus. Deumque precabimur, ut, quę pio animo ab iisdem profecta sunt, felici successu absolvantur. Vos

Vos itidem paucis conveniemus, Dilecti Fratres ac Comministri, quorum prudentiam latere non potest, hisce, quę disceptantur, primariis controversiis immiscери aliquando quæstiunculas, quæ neque eandem habent fidei certitudinem, neque multum momenti ad veram pietatem. Quæ autem sunt ejusmodi, ut absque illis Gratia Dei gratuita in hominum salute procuranda enervetur, & liberum arbitrium in Dei solium evehatur, pro illis, tanquam pro aris & focis dimicandum; nec ullo modo sinendum, ut certitudo salutis nostræ, à firmitate divini propositi ad humani arbitrii fragilitatem revocetur. Verum, si qua intercurrant, quæ in ipsis Ecclesiis Reformatis non-

dum definita, à doctis, & piis in utramque partem, sine fidei detrimento probabiliter disputantur, non decet graves & moderatos Theologos, quę ipsi in talibus privatim sentiunt, omnibus credenda obtrudere. In hisce salva res est, modo id caveatur, ne diversitas opinionum aut inter Ministros solvat vinculum pacis, aut in populum spargat semina factionis.

Porro & illud monemus, inter ea, quæ certa sunt, & in verbo divino solide fundata, esse tamen quædam, quæ non sunt omnibus promiscue inculcanda, sed suo loco & tempore prudenter attingenda. In his est sublime *Prædestinationis mysterium*, suaviſſimum illud quidem, & solatii pleniſſimum, sed illis solis, qui in fi-

de

de radicati ſunt, & in pietate exercitati, qualibus in gravi conſcientiæ lucta inſtar firmi propugnaculi eſſe poteſt.

Verum-enim-vero ubi Prædicantium quorundam imprudentia ad hanc abyſſum ſpeculandam vocantur, qui nondum prima religionis fundamenta probe didicerunt, quibuſque mens adhuc carnalibus affectibus tota diffluit, id unum efficitur, ut, dum de arcana Prædeſtinatione litigant, ſalutiferum Euangelium negligant, & dum nihil aliud, quam Prędeſtinationem ad vitam ſomniant, viam vitæ æternæ prædeſtinatis conſtitutam nunquam inſiſtant. De Reprobationis arcano majori ſollicitudine cavendum, ut non modo parce prudenterque proponatur; ſed etiam

ut

ut in eo explicando ſtudioſe vitentur horridæ illæ opiniones & in Scripturis minime fundatæ, quæ ad deſperationem potius quam ædificationem faciunt,& Eccleſias quaſdam Reformatas ſcandalo ingenti gravant. Denique de mortis Chriſti pretioſiſſimo merito ita ſtatuamus, ut nec primitivæ Eccleſiæ ſententiam, nec Reformatarum Eccleſiarum Confeſſiones negligamus, nec [quod caput rei eſt] promiſſiones Euangelicas in Eccleſia univerſaliter proponendas enervemus.

Paucula hæc monuimus, potius ut noſtrum erga venerandos Fratres amorem, officiumque teſtemur, quã quod eos monitis hiſce noſtris indigere arbitremur.

Quod reliquum eſt, Deum Opt.

Opt. Max. ſuppliciter obſecramus, ut huc colliment, hoc aſſequantur conſilia Procerum, ſtudia Miniſtrorum, auxilia exterorum, vota omnium; quo Eccleſia hæc Belgica, extirpatis erroribus, & compoſitis diſſidiis, fide Orthodoxa, ac ſtabili pace in omne ævum perfruatur, per pacis noſtræ ſequeſtrum Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Subſcripſerant ac ſubſignarant,
GEORGIUS LANDAVENSIS
Iam Ciceſtrienſis.
JOANNES DAVENANTIUS
Iam Epiſc. Sariſbur.
SAMUEL WARDUS.
THOMAS GOADUS.
GUALT. BALCANQUALLUS,
Iam Decanus Roffen.

FINIS.

GRATIA DISCRIMINANS.

Concio ad Clerum,

Habita CANTABRIGIÆ in Ecclesia B. *Mariæ*, *Ian.* 12. 1625.

Per

S. *Sq*: *Wardum* S. Theologiæ Doctorem, Professs. Theologicum D. *Margaretæ*, Collegiique *Sidneiani* in eadem Academia Præfectum.

Emendatior et auctior.

LONDINI,
Excudebat *M. F.* impensis
ROBERTI MILBOURN.
M DC XXXIII.

GRATIA
DISCRIMINANS.

ALMÆ MATRI
ACADEMIÆ
CANTABRIGIENSI,
GRATIA DISCRIMINATRICIS SEMPER ASSERTRICI,

Alumnus

S. W. Professor Theol.
D. Marg. Do, Dico,
Consecróque.

AGe, perge Cathedrã ornare (quod facis) sa-
Subtilitate, non levi, rapidâ, vagâ, (cram
Sed Orthodoxa quam coronat veritas,
Et justa firmat soliditas patiens libra.
Antiquitatis Crypta tu penetras frequens,
Scholasticorum tu profundos vortices.
Te nulla fallit, nulla te scium latet
Distinctionum tela, rationum strophæ
Tam perspicacem mente, judicio gravem,
Linguis peritum, tamque nervosum stylo.
His addo genium temperatum, εὐπλυντον,
Placidum, modestum, lite rixosâ procul.
Age, perge, Causæ fortis adserter Dei,
Perge obloquenti huic obloqui superbiæ,
Quæ, quod superne fit, voluntati arrogat.
Tuére partes optimas solers pugil,
Prædestinantis munus immeritum Patris
Adoptionem, & perpetem constantiam:
Quæ summa nobis donat, haud vendit, bona.
Discriminantis Gratiæ quis sit vigor
Ostendis, unum separantis altero.
Cordis rigentis illa duritiem domat
Ictu efficaci, dúmque nutat anxius,
Pendentis animi tollit aquipondium.
Non hoc voluntas ipsa, motu libero
Determinante gratiam, præstat sibi:
Sed Liberator, qui voluntatem bonam,
Non invenire, sed facere semper solet: Nec

Nec ſegnitur ipſa, ſed ſuo niſu trahit.
Iaculum petēdo dirigit manus ſcopo:
Haud calamus, haud vel arcus ipſe, dexteram,
Noſtra eſt voluntas arcus: huic meta eſt Salus:
Fides ſagitta: Gratia eſt mittens manus.
Sed & arcus hic diſtortus, ac meta impotens,
Donec reſinxit, & tetendit, artifex:
Nec ſibi ſagittam formar, aut nervo applicat,
Sed de pharetâ deſuper plenâ accipit:
Chorda admovetur hinc, & hinc emittitur.

Sic approbavit hunc lubens libellum

THO: GO:

CONCIO AD CLERUM, HABITA *Cantabrigiæ*, in Ecclesia B. *Mariæ*, *Jan.* 12. 1625.

Ad Philippenses 2. vers. 12. & 13.

Cum metu, & tremore vestram salutem operamini: Deus enim est, qui operatur in vobis & velle, & perficere, pro bona sua voluntate.

PAULUS Apostolus versu 12. hortatur *Philippenses*, ut, sicut antea semper ex quo nomen suũ Christo dedissent (exem-

(exemplo Christi) obedientes sese præstiterant Dei præceptis ab Apostolo recensitis, ita deinceps facere pergant, si gloriæ Christi, cujus suprà meminerat, participes fieri velint. Illud initio hujus versus, (*sicut semper obedistis*) videtur Parenthesi includendũ; ut sensus sit, Itaque fratres mei dilecti (*sicut semper obedistis*) quasi diceret, [id, quod hactenus feciſtis] *operamini salutem vestram cum metu & tremore*. Non tantùm sicut me præsente feciſtis, aut facere soletis, sed nunc multò magis me absente: sic enim palam ostendetis vos id facere ex animo propter Deum, & non serviliter, seu ἀνθρωπαρέσκως, quasi nobis placere studentes. Hic videtur esse sensus partis prioris hujusce versus duodecimi.

Hisce

Hiſce verbis poſtremis modò lectis, hortatur Apoſtolus dilectos *Philippenſes*, ut ſalutem ſuam operentur & conficiant, pergendo in ſtudio obedientiæ, & ſtadio pietatis; *Cum metu, & tremore ſalutem veſtram operamini* : & rationem ſubjungit, *verſ.* 13. *Quia Deus eſt, qui operatur in vobis & velle, & perficere, pro bona ſua voluntate.*

Videtis textus noſtri membra duo:

1 Officium præſtādū, ad quod Apoſtolus hortatur, *verſ.* 12.

2 Rationem hortationis, *verſ.* 13.

In

In officio pręstando, duo notanda veniunt,

1 Actus præscriptus, *Salutem vestram operamini.*

2 Modus præstandi, *Cũ metu & tremore.*

Ratio hortationis præcipuè sumitur à *modo* : Rationem enim subjungit Apostolus, cur salutem suam operaturi sunt isto *modo*, cum metu & tremore ; *Quia Deus est, qui operatur & velle, & perficere, pro bona sua voluntate* : ubi duplex ratio redditur cur isto *modo* cum metu & tremore salutem suam operaturi sunt :

Prima

Prima ſumpta eſt ab efficiente cauſa hujus operationis; *Deus enim eſt, qui operatur*: id quod explicatur per partes hujus operationis; *Deus enim operatur*

tùm { *velle* / *perficere*.

Secunda, à cauſa impulſiva hujus ἐνεργείας bipartitæ; eſtque Dei beneplacitum: Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle, & perficere, *pro bona ſua voluntate*.

De hiſce ſuo ordine. & Primò de actu præſcripto. Actus, ad quem hortatur, eſt propriæ ſalutis operatio. Car-

ceres jam pietatis ingreſſi fuerant *Philippenſes*; monet Apoſtolus, ut in ſtadio pergant, ut verſus metam ad βραβεῖον ſupernæ vocationis contendant. *cap.* 3. 14.

Phil. 3. 14

Chryſoſt. Homil. ad Philip.

Non dicit Apoſtolus nudè ἐργάζεσθε (inquit *Chryſoſt.*) ſed κατεργάζεσθε, id eſt, (ut ipſe interpretatur) μετὰ πολλῆς σπουδῆς καὶ ἀκριβείας, accuratè, magnòque cum ſtudio operamini.

Salus ſummum cujuſque bonum.

Salus æterna eſt ſummum cujuſque hominis bonum, & ultimus finis, qui omnibus mediis, quibus ad beatitudinem perducimur, amabilitatem, ordinem, & menſuram ſuam confert. Intentio hujus finis eſt ſummum & primarium opus creaturæ rationalis: operari propter hunc finem eſt operatio omnium, quæ ad hominem ſpectant, longè graviſſima,

viſſima, & maximi momenti: ideòque non mirum, ſi Apoſtolus imprimis hortetur *Philippenſes*, ut præ omnibus *ſuam ſalutem operentur*.

In politeia ſalus populi eſt ſuprema lex: In vita Chriſtiana ſalutis operatio eſt ſummum præceptum: huic ergo operi imprimis incumbendum; huic omni cura & diligentia invigilandum: huic conficiendo omne ſtudium & ultimus conatus adhibendus eſt. Jubet Servator; Quærite primum regnum Dei & ejus juſtitiam: idem eſt quærere regnum Dei & ejus juſtitiam, & operari propriam ſalutem; ergo primo in loco *operamini veſtram ſalutem*. Mat. 6.

Quod *Seneca* olim de Philoſophia; Sive aliquid habes, ô jam philoſophare; ſive nihil, Senec. Epiſt. 17.

hil, hoc prius quære quam quidquam: hoc de noſtræ ſalutis operatione multo verius aſſerendum; Sive aliquid habes, ſive nihil, operare tuam ſalutem; hanc prius quære quàm quidquam.

Rationes plures in promptu,
1. 1. Noſtri melior pars anima eſt: ſalus animæ eſt ſalus totius hominis: merito poſcit ſtudia majora & priora pars
2. melior. 2. Æterna momentaneis præferenda, *Operamini* (inquit Servator) *non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam*: Æternum gloriæ pondus nobis conficitur (inquit Apoſtolus noſter) *dum*
2 Cor. 4: 18. *non ſpectamus temporaria, quæ cernuntur, ſed quæ non cernuntur, æterna.* 3. Supervacanea
3. Luc. 10: 42. neceſſariis poſtponenda; operari autem propriam ſalutem
Phil. 3. 7.

eſt

eſt unicum illud neceſſarium, & id, pro quo Apoſtolus (capite ſequenti) reliqua omnia pro ſtercoribus duxit.

Hinc ergo diſcamus, optimum eſſe curam principalem animæ impendere; ut, quæ utilitate prior eſt, non ſit conſideratione poſterior. Curandum eſt, ut primas apud nos curas, quæ prima habentur, obtineant, ſummaſque ſibi ſolicitudinis partes, quæ ſumma eſt, ſalus vendicet. Omnia vincat eo ſtudio, quo præcedat omnia: ut præclare *Eucherius*. *Quid prodeſt homini* (inquit Servator) *ſi mundum univerſum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur?* Proinde *non poteſt ulla compendii cauſa conſiſtere, ſi conſtet animæ intervenire diſpendium*, inquit idem *Eucherius*: merito igitur

Eucher. Epiſt. ad Valerian. cognatum. Mat. 16. 26.

Eucher. ut ſupr.

igitur hortatur Apoſtolus *Philippenſes*, *veſtram ſalutem κατεργάζεσθαι*. Hoc primum.

2. *Liberum arbitrium eſſe in homine ad operapietatis.*

2. Ex hac Apoſtoli hortatione rectiſſimè etiam evincitur in homine regenerato & liberato (quales hoſce *Philippenſes* jam eſſe præſumit Apoſtolus) eſſe liberum in operibus pietatis, & ſalutem ſpectantibus arbitrium. Ut quid enim tam ſedulo moneret Apoſtolus *Philippenſes*, ut *ſuam ſalutem operentur*, ſi non aliquatenus penes eos fuiſſet hoc ipſum, propriam ſalutem operari, & quidem *liberè* operari: neque id ex *libertate illa*, quæ immuniſeſt à *ſola coactione*, ſed etiam, quæ immunis eſt ab *omni naturali neceſſitate?* Neque enim operantur pii ſuam ſalutem *ſponeè* tantum, quomodo grave tendit deorſum,

Homo non ſponte ſolum agit.

aut

aut apis mellificat, aut aranea telam texit, ut quæ operationes ſuas ſuſpendere non nôrunt, ad quas à propriâ naturâ, vi quadam irreſiſtibili determinantur, imô nec ut brutum cum ex diſciplina, apprehenſione & metu verberum naturalem ſuum appetitum cohibet, & pabulo ſuo contra naturalem inclinationem ſpôtaneè abſtinet; ſed ita ſponte operantur regeniti homines, ut etiam agant ἐκ προαιρέσεως ex *præelectione*, & *poteſtate electivâ*, quę non videtur cum coarctatione ad unum, & neceſſitate naturali poſſe conſiſtere cum electio inter plura ſit, ſemperque ſupponat, ſaltem in homine, præviam conſultationem, & antecedaneum rationis de objecti indifferentia plenum & perfectum judi-

Sed & liberè. vid. Irenæum lib. 4. adverſ. Hæreſes. C. 72.

cium; imo & indifferentiam in ipsa potentia volendi, & resistibilitatem; & ita semper & velit, & agat, ut saltem *non velle*, & *non agere* possit. Habitus enim, sive dona gratiæ, quæ renatis infunduntur, eos reddunt ad bene sancteque operandum habiles quidem & idoneos, sed necessitatē haud imponunt actus sibi conformes producendi. Recte Durandus, *Habens habitum potest velle oppositum ejus, ad quod inclinat habitus.* Et in eandem sententiam alicubi Bellarminus, *Nullus habitus in viatore determinat ad agendum.* Nisi ita se res haberet, ut quid Apostolus hîc tam serio hortaretur Philippenses, ut suam salutem operentur? Nisi etiam in ipso primo actu credendi, & convertendi voluntas ageret

Bellar. de grat. & lib. arbitr. lib. 4. cap. 11.

geret per modum agentis liberi, ut quid Prophetæ tam ſolicite monerent: ut Deo vocanti & excitanti conſentiamus? ut quid nobis imputarent, quod non conſentiamus? *Vocavi vos, & non reſpondiſtis*; *Quoties volui congregare filios tuos, & noluiſti?* Denique ut quid ſtaret Chriſtus ad oſtiū cordis noſtri pulſans & expectās, donec aperiamus? Quorſum hæc omnia, niſi ut intelligamus ipſum conſentire, reſpondere, operari, ſive non conſentire, non reſpondere, non operari eſſe actus humanæ voluntatis connaturali ſuo modo agentis? Ita tamen, ut, cum recte agat *obediendo*, id Gratiæ divinæ tribuendum ſit, cum male agat *repugnando*, id innatæ pravitati ſit imputandum. Id ipſum inſuper e-

Ier. 7. 13. Mat. 23. 37.

Apoc. 3. 20.

Auguſt. de Grat. & lib. arbit. c. 1.2,3. & 4

vincunt minæ, promiſſiones, præcepta, increpationes divinæ, quæ in ſacris oraculis paſſim occurrunt. De hiſce videndus *Auguſtinus*.

Nec in converſione, nec poſt tolluntur a voluntate.

Hoc igitur neceſſario aſſerendum eſt, ut, calumniam crebro, ſed immerito nobis inuſtam abſtergamus. Nos enim libere profitemur, nec gratiam operantem, nec cooperantem, nec in converſione, nec poſt converſionem tollere ab humana voluntate in ipſo eliciti ſui actus exercitio *potentiam reſiſtendi*, & *diſſentiendi*, *ſi velit*: Eſt enim hæc reſiſtibilitas *connata* & *nativa*, ab ipſa voluntate, quâ potentia naturalis, inſeparabilis, & propria paſſio, quæ fluit à voluntate creatâ, quâ potentia libera. Quandocunque enim vult & conſentit, vult & conſentit

§ Reſiſtibilitas connata.

ſentit *reſiſtibiliter*, id eſt, ita ſuum præbet conſenſum, ut ſi ipſa nollet, talem conſenſum non eliceret. Præclare in hanc ſententiam *Auguſtinus*: In recte faciendo nullum eſt vinculum neceſſitatis, quia eſt libertas charitatis. *De natur. & grat. c. 65.*

2. Certum eſt, gratiam Dei, nec in actu converſionis, nec poſt, quamdiu hîc vivitur, penitus tollere vitioſam illam reſiſtendi ac renitendi poſſibilitatem, vel potius inſitam pronitatem ad reſiſtendum motibus Spiritus Sancti, quã ab exordio noſtræ nativitatis omnes nimis veraciter experimur; Hanc, diſtinctionis ergo, reſiſtibilitatem *adnatam* & *adauctam* dicere poſſumus. 2. *Adnata.*

3. Addo gratiam Dei, nec in actu converſionis, nec poſt, tollere omnem *actualem reſiſtentiam*. 3. *Actualis reſiſtentia.*

ſtentiam ex vitioſa hac renitendi pronitate profectam; tantum abeſt, ut *omnem reſiſtendi poſsibilitatem* per gratiam ademptam exiſtimemus.

Aug. Epiſt. 89. q. 2. *Fulgent. l. 2. de verit. prædeſt.*

Rectiſſime ergo *Auguſtinus*; *Liberum arbitrium non ideo tollitur, quia juvatur*, ſed *ideo juvatur, quia non tollitur*. Et *Fulgentius*; *Gratia Dei humanum non aufertur, ſed ſanatur arbitrium; non adimitur, ſed corrigitur; non removetur, ſed illuminatur; non evacuatur, ſed adjuvatur.*

Ex hac ergo Apoſtoli hortatione, *Operamini ſalutem veſtram*, rectiſſime infertur liberum hominis in operibus pietatis arbitrium.

Atque hæc de actu *Philippenſibus* præſcripto; *operamini ſalutem veſtram.*

Modum operandi explicat Apo-

Apoſtolus verbis ſequẽtibus, Cum metu & tremore: *Operamini ſalutem veſtram cum metu & tremore.* Recte enim *Auguſtinus* obſervavit rationem hîc reddi, cur hoc modo operanda ſit ſalus: *ſc.* Cum timore & tremore: quia quod aliquid boni aut velitis, aut faciatis, hoc non eſt ex vobis, ſed ex Deo: *Deus enim eſt qui operatur velle & perficere, pro bona ſua voluntate.* 3. *Modus operandi ſalutem debet eſſe cum timore & tremore.*

Timor & tremor differunt: quod timor ſit cordis, tremor corporis: ut *Haymo*, & Gloſſa ordinaria. Atque tremor timoris vehementioris effectus eſſe ſolet. Verum, ubi conjunguntur, fere in Scripturis non aliud ſignificant, quam ſolicitudinem operandi cum metu offendendi: ſic apud Apoſtolum, 1 *Cor.* 2. Et *Timor & tremor.* *Quid ſit operari cum timore & tremore.* 1 Cor. 2. 3

ego

ego in infirmitate, *& timore, & tremore* multo fui apud vos. Et 2. *Cor.* 7. Apostolus ait *Titi* Viscera erga eos affecta esse, dum reminiscitur (inquit) quomodo illum *cum timore & tremore* exceperitis (id est) dum in memoriam revocat quanta cum solicitudine eum à me missum susceperitis, metuentes, ne quid in vobis esset, quod eum offenderet. Alibi etiam ad *Ephes.* 6. Apostolus hortatur Servos, ut auscultent Dominis suis, *cum timore & tremore*, (id est) cum solicita reverentia : nam servilis metus minime probatur in servis Christianis.

2 Cor. 7. 15.

Ephes. 6. 5

Augustinus recte animadvertit Apostolum hîc alludere ad illud *Psalmistæ : Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Hisce ergo verbis

August. de Nat. & Grat. c. 33.

verbis ſolicitam reverentiam, ſeu ſolicitudinem cum metu Deum offendendi in ſalute operanda exigit Apoſtolus à *Philippenſibus*; & merito quidem exigit: ſiquidem ſi uſpiam ita operandum ſit, certe in hoc negotio ſalutis. Hoc enim opus primarium, & vere palmarium eſt Chriſtianorum, ut ſaluti ſuæ invigilent, & in operibus piis & ſalutaribus ſeſe exerceant. Æquum ergo eſt, ut omnem curam & ſolicitudinem in hoc arduo ſalutis negotio, tum promovendo, tum conſummando impendant.

Docet itaque hiſce verbis Apoſtolus, quo animi affectu operari ſalutem debeamus; ut, *ſc.* ſolicite, caute, cum timore & humilitate in pietatis ſtadio curramus, ſiquidem

cum

cum metu & tremore operari non aliud est, quam ex serio timore & solicito humiliter operari. Hîc ergo Apostolus facessere vult ab animis fidelium duas maximas pestes in salute nostra conficienda, securitatem carnis, & animi superbiam; solicitudo securitatem & somnolentiam excutit; timor superbiam & præfidentiam arcet: securitas carnalis negligentiores nos reddit in bonorum operum studio, unde in multa facinora facile illabimur; superbia facit ut in bene operando insolescamus, nobisque tribuamus id quod solius gratiæ divinæ beneficio debemus, qua peste nihil ad perniciem animarum creandam, & iram Dei provocandam periculosius.

Duæ pestes in salute operanda vitandæ: Securitas carnalis, Superbia.

Diabolus arte sua veteratoria

toria uſus, 1. Nos carnaliter ſecuros reddere in ſalutis negotio ſatagit; ſi hac non ſuccedat, elatos & ſuperbos reddere conatur. Pulchre *Aug.* *Superbia etiam in ipſis rectè facti*s *cavenda eſt*, (id eſt) *in ipſa via juſta, ne dum homo, quod Dei eſt, deputat ſuum, amittat quod Dei eſt, & redeat ad ſuum.* Et alibi, *Quando jubetur, ut operentur, liberum eorum convenitur arbitrium; ſed ideo cum timore & tremore, ne ſibi tribuendo quod bene operantur, de bonis, tanquam ſuis, extollantur operibus.*

Auguſt. de Nat. & Grat. c. 33.

Auguſt. de Grat. & l. arb. c. 9.

Navigandum igitur eſt ad tutiſſimum æternæ ſalutis portum inter *Scyllam* & *Charybdim*, inter *Scyllam* carnalis ſecuritatis, & ſuperbiæ *Charybdim*: ſolicitudo pia facit, ut *Scyllam* ſtudioſe vitemus; timor

timor salubris, ut *Charybdim* declinemus.

Nullus *Romæ* ad templum *Honoris* patebat aditus, nisi per templum *Virtutis:* Non itur ad cœlum, nisi per angustam viam, per viam solicitudinis, timoris, humilitatis, patientiæ, & id genus virtutum, per sedulum usum mediorum salutis; Denique in omnibus fidei & pœnitentiæ exercitiis, precandum, jejunandum, vigilandum est nobis: membra carnis sunt mortificanda omnibus, qui supernæ vocationis βραβεῖον reportare, & ad metam æternæ beatitudinis pervenire cupiunt.

2 Tim. 2. 11. Fidelis sermo est (inquit Apostolus) *Si commortui cum eo simus, & convivimus; si sustinebimus, etiã cum eo regnabimus.*

Rectè *Augustinus: Discunt*

(filii

(filii Dei) *in ipsa via justa cum tremore se exultare debere, non sibi arrogando, tanquam de sua virtute, fiduciam permanendi, nec dicendo in abundantia sua, non movebor in æternum, propter quod iis dicitur, Servite Domino in timore, & exultate ei, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via justa.— Quid ostendens, nisi eos esse commonitos, qui iam ambulant in via justa, ut in timore Deo serviant; id est, non altum sapiant, sed timeant, quod significat, non superbiant, sed humiles sint?* Unde & alibi dicit, (*Rom.* 12.) *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes; exultent Deo, sed cum tremore, in nullo gloriantes, quando nostrum nihil: ut qui gloriatur, in Domino glorietur.*] Hæc Aug. *Augustin. de Corrept. & Grat. c. 9.*

Pulchrè

Tertul. de præscript. c. 43.

Pulchrè etiam *Tertullianus*. *Doctrinæ index disciplina est.— Vbi Deus, ibi metus in Deum, qui est initium sapientiæ; ubi metus in Deum, ibi gravitas honesta, & diligentia attonita, & cura solicita, & adlectio explorata, & communicatio deliberata, & promotio emerita, & subjectio religiosa, & apparitio devota, & processio modesta, & ecclesia unita, & Dei omnia.*] Hæc ille.

Motiva ad operandum salutem dicto modo.

Ut operemur salutem nostram hoc modo *cum metu & tremore* permulta merito suadent: naturæ nostræ imbecillitas, ignorantia agendorum, difficultas ad bonum, propensitas ad malum, illecebræ carnis, ὀχυρώματα hostium salutis, ignita Diaboli jacula, nostra ad superandas tentationes impotentia, quę tamen

omnia

omnia eo ſpectant, (ita ordinante & diſponente divina ſapientia) ut inde diſcamus cum omni humilitate noſtram impotentiam agnoſcere, nobiſmet abrenunciare, occaſiones peccati vigilanter cavere, ab inani propriæ dignitatis confidentia abhorrere, ad divinam clementiam confugere, omnibus ejus gratioſis promiſſionibus adhærere, & ex ejus miſericordia, quanti quãti ſumus, toti dependere, & inde læta omnia, & fœliciſſima expectare.

Romanenſes hinc colligunt Apoſtolum, cum hortetur *operari ſalutem cum timore & tremore*, omnem & gratiæ præſentis & ſalutis futuræ certitudinem ablegandam docere: ideoque neminem aut debere, aut poſſe de ſua in gratiam *Ob. Romanenſium.*

am receptione, & ad vitam æternam acceptatione, & multo minus de sua in gratia perseverantia statuere, aut certo confidere. Quibus adstipulantur, quoad hoc ultimum de perseverantia, *Remonstrantes Belgici.*

Remonstrantium.

Sol. At nihil minus ex hoc loco concluditur: id quod amplius constabit ex illo loco Psalmistæ, ad quem alludere videtur Apostolus, *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Cum enim hortetur Psalmista, ut exultemus Domino cum tremore, talem timorem & tremorem intelligit, quæ cum exultatione in Domino consistere possit: si autem timor & tremor cum exultatione pia consistere possint, utique excludunt dubitationem de divina

Sol.

Psal. 2. 11.

Tremor cũ exultatione consistit.

erga

erga nos benevolentia, & pendulam incertitudinem : Non enim exultamus, nisi de iis, de quibus certi sumus, nec nisi quando, & quatenus certi sumus ; exultationi siquidem, non minus quam fidei sanctorum, subesse falsum non potest. Servire igitur Domino cum timore & exultare ei cum tremore non aliud est, quam Domino servire, eique exultare cum solicitudine & timore offensæ divinæ ; sic enim Domino serviendo, ei exultamus ; fiduciam optimã, & de præsenti justitia & gratia, & de salute futura concipiendo, quarum neutrius firma fiducia absque solicitudine & metu aut haberi, aut separari potest.

Hinc per Prophetam populo suo, quo cum novum fædus

dus pangit, promittit Deus timorem, Jerem. 32. 41. *Timorem meum dabo in cor eorum, ut à me non recedant. Quod quid est aliud* (inquit Augustin. de bono perseverant. c. 2.) *quàm, talis ac tantus erit timor meus, quem dabo in cor eorum, ut mihi perseverãter adhæreant.* Et *Hieronymus* in Jerem. 32. *Sic liberum* (*Deus*) *donat arbitrium, ut tamen ipse timor, qui tribuitur, gratia permaneat largitoris.*

Aug. de bono perseverant.

Hieronym. in Jer. 32.

Ber. serm. 15. in Psal. Qui habitat.

Præclarè *Bernardus*; *Timor maximæ spei est materia, quia timor est donum Dei dirigens nos ad salutem, & ex perceptione præcedentium donorum firma est expectatio futurorum.*

Cyp. l. 3. ad Quirin.

Lib. 2. Ep. 2.

Et antè eum *Cyprianus* ex Scripturis evincit timorem Domini esse *fidei & spei fundamentum, & firmamentum.* Et in egregia illa ad Donatum epistola;

piſtola; *Dei eſt* (Dei inquam eſt) *omne quod poſſumus, inde vivimus, inde pollemus, inde ſumpto & concepto vigore hic adhuc poſiti futurorum indicia præno ſcimus. Sit tantum timor in nobis innocentiæ cuſtos.* Tantū ergo abeſt ex mente *Cypriani*, ut timor innocētiæ cuſtos excludat ſalutis fiduciā, ut inde hîc adhuc poſiti futurorum indicia præno ſcamus, quatenus ſolicita ex timore innocentiæ cuſtodia ſit *& occultæ prædeſtinationis indicium, & futuræ fœlicitatis præſagium*, ut verbis Bernardi utar. *Bern. de grat. & libero arb. in fine.*

Illud etiam addo, tantum abeſſe, ut operari ſalutem *cum timore & tremore*, omnem fiduciam ſalutis futuræ excludat, ut abſque hac nulla vera fiducia concipi poſſit. Ita enim comparatum eſt, Deo ſic

ſapientiſſime ordinante, ut pro gradu ſolicitudinis reſpondeat gradus fiduciæ, ut ubi major ſolicitudo ſit, ibi major ſit fiducia, ubi minor ſolicitudo, ibi minor fiducia, ubi nulla ſolicitudo, ibi nulla fiducia: Utque certum eſt, extra ſtudium ſanctitatis & ſolicitudinem operandi ſalutem cum metu & tremore, nullam haberi poſſe de ſalute conſequenda veracem fiduciam; ita æque certum eſt, ex ſtudio ſanctitatis & dicta ſolicitudine in exercitiis fidei, pœnitentiæ, timoris, dilectionis, & id genus aliis timoratam conſcientiam præclaram concipere de æterna ſalute conſequenda confidentiam.

Greg. lib. 6. ep. 23. cap. 187. Devotiſſime *Gregorius, Deum ſitiens anima prius timore compungitur, poſt amore: at vero*

ro cum longa mœroris anxietate fuerit formido consumpta, quædam jam de præsumptione veniæ nascitur securitas, & in amore cœlestium gaudiorum animus inflammatur.

Concludo hunc locum cum *Bernardo* serm. 9. in Cant. *Bern. serm. 9. in Cant.*

Quanta putas ex hac mansione inter animam & verbum familiaritatis gratia oriatur, quanta de familiaritate sequatur fiducia? non est (ut opinor) quod jam talis anima dicere vereatur, dilectus meus mihi. Quæ ex eo quod se diligere & vehementer diligere sentit, etiam diligi nihilominus vehementer non ambigit, ac de sua singulari intentione, solicitudine, cura, opera, diligentia, studioq; quo incessanter & ardenter invigilet, quemadmodum placet Deo, æque hæc omnia in seipso indubitanter agnoscit.

ſcit. Et mox. *Amor Dei amorem animæ parit, & illius præcurrens intentio, intentam animam facit, ſolicitudoque ſolicitam; neſcio enim qua vicinitate naturæ, cum ſemel revelata facie gloriam Dei ſpeculari anima poterit, mox illi ſe conformari neceſſe eſt, atque in eandem imaginem transformari. Igitur qualem te paraveris Deo, talis oporteat appareat tibi Deus, cum ſancto ſanctus erit, cum innocente innocens erit; quid ni æque & cum amante amans, & cum vacante vacans, & cum intento intentus, & ſolicitus cum ſolicito.*

Accepiſtis officium ad quod hortatur Apoſtolus, ejuſque { actum. / modum.

Ratio hortationis 1. Ratio hortationis, cur Philippenſes hoc modo *cum metu & tremore ſalutē operaturi ſunt,* ſequitur;

sequitur; estque duplex. 1. ex efficiente hujus operationis, Deo nimirum; *Deus enim est, qui operatur*: id quod explicat Apostolus per partes hujus operationis quę sunt { *velle*, *perficere*.

Deus enim est qui operatur & velle, & perficere. 2. desumitur à causa impulsiva, estq; Dei εὐδοκία, Dei bonitas & beneplacitum: *Deus enim est, qui operatur tum velle, tum perficere pro bona sua voluntate.* 2.

Quod ad rationem primam attinet desumptam ab efficiente: Deus (inquit Apostolus) est ille ὁ ἐνεργῶν, est ille, qui operatur: operatio hæc salutis propriis viribus non efficitur; *Deus enim est, qui operatur*, καὶ τὸ θέλειν καὶ τὸ ἐνεργεῖν, *& velle & perficere.*

Ubi rationem reddit Apo-

ſtolus, non *actus*, ſed *modi*, ut diximus; non enim hîc ratio redditur liberę cooperationis noſtræ in operibus piis & ſalutaribus, ad quam hortatur Apoſtolus; ſed cur cum ſerio & ſolicito timore operari debeant; cum hoc non ſit propriarum virium opus, ſed opus Dei, cujus eſt operari tum velle, tum perficere: quæ explicatio frequenter occurrit apud *Auguſtinum*, & ejus ſequaces *Proſperum*, *Fulgentium*, & alios.

Quæſtio. Hîc quæri ſolet, cur Apoſtolus hortetur nos operari ſalutem, & tamen ſubjungat, Deum operari tum velle, tum ipſum perficere.

Sol. Hæc quæſtio ab antiquis temporibus magnas turbas in Eccleſia excitavit, præſertim ab eo tempore, quo exortus

eſt

est *Pelagius*, & *Semi-Pelagiani*; posteà etiam Scholasticorum temporibus sic conqueritur *Bradwardinus* noster: *Totus pene mundus, ut timeo, & doleo* (inquit) *post hunc abit, & erroribus ejus favet.* *Vasquezius* Jesuita libere fatetur, *Scholasticos quamplures lapsos fuisse in errorem Massilienssium, & in negotio conversionis asseruisse usum liberi arbitrii esse ex nobis.*

Bradward de causa Dei. lib. 2.
Vasq. in prim. part. disp. xci. c. 10. 12.

Annis abhinc 40, aut circiter, inter *Dominicanos* & *Jesuitas* eadem quæstio novo titulo *de Auxiliis* vexata est, imo & inter Jesuitas ipsos adhuc vexatur: & nuperrime inter ipsos reformatos in vicino Belgio, nempe *Remonstrantes*, & *Contra-remonstrantes*. In hisce temporum angustiis varia hujus controversiæ capita vix recensere possum, multo

minus judicium noſtrum de ipſis capitibus apud vos proferre.

Explicatio Pelagii.

Pelag. in ep. Paul. apud Hieronym. Auguſt. de grat. Chriſt. c. 10.

Pelagius in commentario in locum, qui inter *Hieronymi* opera etiamnum extat, ſic exponit: *Velle operatur Deus ſuadendo, & præmia pollicendo.* Alibi ſic referente *Auguſtino.* lib. de Gratia Chriſti, *Operatur in nobis velle quod bonum eſt, velle quod ſanctum eſt, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, & morientium more animalium tantummodo præſentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine & præmiorum pollicitatione ſuccendit, dum revelatione ſapientiæ in deſiderium Dei ſtuentem ſuſcitat voluntatem, dum nobis ſuadet omne quod bonum eſt.* Verum *Auguſtinus* hanc rejicit explicationem.

Vitalis.

Vitalis Carthaginenſis à veſtigiis

ſtigiis *Pelagii* non multum receſſit, ſic enim ille apud *Auguſtinum.* epiſt. 107. *Deus in nobis operatur & velle & perficere : id eſt, per legem ſuam & ſcripturas ſuas Deus operatur ut velimus, quas vel legimus, vel audimus. Sed iis vel conſentire, vel non conſentire ita noſtrum eſt, ut ſi velimus, fiat, ſi autem nolimus, nihil in nobis operationem Dei valere faciamus. Operatur quippe ille (dicis) quantum in ipſo eſt, ut velimus, cum nobis nota ſint ejus eloquia : ſed ſi nos acquieſcere nolumus, nos ut operatio ejus nihil in nobis proſit, efficimus : Quæ ſi dicis* (inquit *Auguſtinus*) *orationibus noſtris contradicis.* Ubi *Auguſtinus* dictam explicationem *Vitalis* reprehendit, & merito quidem. Non enim operatio Gratiæ divinæ ab humanæ

Aug. epiſt. 107.

voluntatis consensu suspenditur, sed ipsum consensum efficit insitâ efficaciâ: ut postea ostendemus.

Aliorum. Alii sic; Deus operatur in vobis *velle, si velitis.* At non nisi absurde exigitur quippiam, ut conditio sui ipsius, ac si dixerit quispiam, Deus facit me vivere, si vivam.

Remonstrantium. Alii sic; Deum in nobis operari *velle*, quatenus mediante verbo Euangelii, ita afficit voluntatem interna Spiritus sui operatione, ut & potentiam volendi, & vires supernaturales ad pie volendum irresistibiliter conferat; quibus voluntas adjuta & elevata ex sua libertate operatur velle & perficere, ea tamen lege, ut eodem tempore, quo movetur à Deo, ut operetur velle; positis

tis omnibus gratiæ operationibus ad agendum requisitis, ex parte etiam ipsius Dei, possit ex se gratiam istam ita aspernari, ita non velle, ac nolle, ut sæpe eam de facto aspernetur, eique adversetur: sic *Iacobus Arminius* cum *Remonstr. Belgicis*.

Hi enim arcte tenent, & acerrime contendunt talem *resistibilitatem* semper voluntati inesse in omni pia operatione, ut posita gratia efficaci, & omnibus operationibus, quibus Deus ad efficiēdā conversionē, aut aliquod opus pium utitur, voluntas adhuc in æquilibrio relinquatur, velitne velle, vel non velle, credere, vel non credere, convertere se ad Deum, vel non convertere; velitne gratiæ efficaci resistere, vel non resistere, consentire,

vel

vel non consentire, etiam sensu composito. Ex horum enim sententia gratia divina non determinat voluntatem, nec salvâ libertate determinare potest, sive physice, sive moraliter, sive alio quovis modo, sed semper indifferentem, & indeterminatam relinquit, & in statu æquilibrii, ut jura libertatis intacta & illæsa conserventur.

Quod autem de gratia efficaci sentiunt quoad piam aliquam operationem & opus ipsum conversionis, idem prorsus statuunt de gratia data ad perseverandum, & ad vincendas quasvis tentationes.

Hæc explicatio & assertio libertatis humani arbitrii, quomodo jam à nobis exponitur, & ab illis asseritur, est

fœcun-

fæcunda mater & radix non paucorum errorum.

Hinc enim consequenter docent: 1°. gratiam non dari aliam ad *perseverandum in gratia*, quam illam supra descriptam ad primum bonum velle, in opere conversionis, necessariam, talem *sc.* cujus efficacia tota (suppositis divinis auxiliis, quibus perseverare possimus) ex sola libera humani arbitrii cooperatione pendeat, nec aliam, quam quæ data est *Adæ* in statu innocentiæ, quâ potuisset perseverare, si vellet. *Consectaria assertionis Remonst. 1. Quoad perseverantiam.*

Hinc etiam consequenter 2°. docent novo ausu prædestinationem in genere non aliam in Scripturis revelari, quam *decretum de salvandis perseveranter credentibus*, nec aliam in specie, quam destina- *2. Quoad prædestinationem.*

tionem

tionem *Petri* ad æternam salutem ex prævisione finalis ejus perseverantiæ, & libera finali ejus cooperatione cum gratiæ præsidiis, in vitæ hujus exitu; idque necessario asserendum putant, ne dicta arbitrii libertas lædatur.

3. *Quoad efficaciam mortis Christi.*

Hinc 3°. & ultimo consequenter deducunt, Christum *ex æquo* pro omnibus mortuum fuisse, nec plus meruisse *Iacobo* quam *Esavo*, *Petro* quam *Iudæ*, non enim meruisse ulli nisi gratiam illam, qua in æquilibrio constituatur voluntas, ut possit convertere si velit, non ut certo velit, ne dicti arbitrii libertas violetur.

Cum igitur dicta explicatio & assertio humani arbitrii libertatis sit non paucorum errorum proseminatrix, eo diligentius à nobis

&

& perpendenda & refellenda eſt rationibus ex hoc noſtro contextu fere deſumptis. Antea tamen hic duo præmittenda, quę non parum lucis adhibitura ſunt, tum huic textui, tum toti huic *de Auxiliis* controverſiæ.

Primum, non hic quæri ſimpliciter, an Deus in opere converſionis, aut quovis bono opere, operetur hoc ipſum velle & perficere *reſiſtibiliter*. Id enim nos ſupra aſſeruimus, ſed de *modo reſiſtibilitatis* totaliſ eſt. Neutiquam enim *Synodici Dordraceni*, aut Theologi *Belgici* cenſuerunt voluntati, cum elicit hoc velle, ablatum eſſe, vel reſiſtibilitatem *connatam*, qua reſiſtere potuit, ſi vellet, quam voluntatem propriam paſſionem eſſe ſupra aſſeruimus, vel reſiſtibilita-

1. *Non hic quæri de reſiſtibilitate ſimpliciter dicta; ſed de modo.*

ſtibilitatem *adnatam* ex voluntatis depravatione, quâ gratiæ operationis reſiſtere & poteſt & ſolet; ſiquidem omnes noſtri Theologi acriter contendunt, hanc vitioſam reſiſtibilitatem ſemper voluntati, dum hic vivitur, adhæreſcere, licet in renatis fractam & imminutam, multo minus ſomniarunt de auferenda reſiſtibilitate *nativa* & *connata*.

Sed hoc eſt, quod dicimus, cum Deus efficaci gratia operatur in voluntate *ipſum velle*, hanc gratiam efficaciter ponere in voluntate *non-reſiſtentiam*, atque ita tollere eo tempore actualem reſiſtentiam; id quod fit, ut optime explicat *Auguſtinus*, *inſpirata gratiæ ſuavitate per ſpiritum ſanctum, faciente plus delectare quod præcipit, quàm delectat, quod impedit*,

Auguſt. de ſpir. & lit. cap. 28.

dit, vel ut alibi ait, ubi fit, *ut ea quæ pertinent ad justitiam sic delectent animum, ut quicquid aliud voluntas sive dolor impedit, delectatio illa superet* : ibid. c. 34. vel ut brevius alibi, indendo *certam scientiam*, & *victricem delectationem*. Ideo enim contendimus actualem resistentiam tum temporis certo tolli, quod impossibile sit, talem resistentiam cum gratia efficaci in volũtatem recepta, una consistere. Cum enim certum sit, certitudine *causalitatis* efficaci gratiæ voluntatem non obluctaturam, sed gratiam ejus conversionem irresistenter & invicte operaturam, ex hac hypothesi certum est voluntatem eo temporis momẽto gratiæ non resistere, imo nec resistere posse; non quod resistibilitas aut *connata* aut

Ibid. c. 34.

Idem de peccat. merit. & remiss. lib. 2, cap. 19.

aut *adnata* auferatur, ſed quod non poſſunt ſimul coexiſtere, ſeu (ut Schola loquitur) componi in voluntate hæc duo, *voluntatem gratia efficaci affici*, & *voluntatem eodem tempore reſiſtere*, ſeu (quod perinde valet juxta noſtram hypotheſin) *voluntatem eodem momento non reſiſtere & reſiſtere*, vel *velle non reſiſtere*, & *velle reſiſtere*. Unde illa *Auguſtini* concluſio: *Humana voluntates non poſſunt reſiſtere, quo minus faciat ipſe* [Deus] *quod vult, quandoquidem etiam de ipſis hominum voluntatibus quod vult, cum vult, facit*. Illud enim pro certo ponimus impoſſibile eſſe, ut efficaci gratia Deus voluntatem moveat, & ſimul voluntas non moveatur; ſed hæc *impoſſibilitas* eſt tantum *conſequutionis*, & *conditionata*, ſeu

Auguſt. de Corrept. & Grat. c. 14.

ex

ex *ſuppoſitione*, & in *ſenſu* (ut loquuntur) *compoſito*, quæ nullam conſequentis abſolutam impoſſibilitatem inducit, nec libertatem, vel ad oppoſitum poſſibilitatem tollit : ſed infallibilem obediendi voluntatem ponit. Hoc *Proſper* hiſce verbis innuit ; *Liberum arbitrium* tunc *cohortationi vocantis obedit, cum in illo gratia Dei affectum obediendi generavit.* *Proſp. epiſt. de lib. arb. ad Ruffinũ.*

Dicimus igitur Deum operari ipſum *velle* non niſi *irreſiſtenter* in ſenſu diviſo, nec *irreſiſtibiliter* niſi in ſenſu compoſito. Aliam *irreſiſtibilitatem* non agnoſcimus. Date veniam vocibus, ut de rebus ipſis clarius & apertius, quid ſentiendum ſit, intelligatur, & larvam detrahamus iis, qui venenata ſua dogmata ſub prætextu impugnandi voluntatis

tatis *irreſiſtibilitatem* & propugnandi *reſiſtibilitatem* orbi Chriſtiano propinant, & omnem veri nominis efficacem gratiã quantumvis ſolidiſſime in ſcripturis fundatam, ſua *reſiſtibilitatis* perverſa notione enervant, ſeu potius tollant.

Retineant adverſarii hanc ſuam, quam tantopere depereunt, *reſiſtibilitatem*, modo nobis concedant (eam, quam *Auguſtinus* ubique tradidit) Non reſiſtendi infallibilitatem, *Cum Deus vult id fieri, quod non niſi volentibus hominibus oportet fieri, inclinat eorum corda, ut hoc velint : eo* ſc. *inclinante, qui in nobis mirabili modo & ineffabili operatur & velle.*

De prædeſt. Sanct. lib. 1. cap. 20.

2. Alterum, quod præmittendum cenſuimus, eſt hoc; non illud hic quæri, an, non

2. Non quæri, an voluntas formaliter eliciat velle.

non obſtante, quod Apoſtolus pronunciat, Deum operari & velle & perficere, homo ſit *efficiens*, & ejus voluntas ſit *formalis cauſa* eliciendi hoſce actus *volendi* & *perficiendi*. Nam certum eſt, ipſam voluntatem in omni opere bono, adeoque in ipſo opere converſionis elicere *formaliter* hoc ipſum *velle convertere*; homo etiam eſt, qui *efficienter* hîc vult, ac perficit. Non enim niſi ſtulte diceretur, Deum hoc modo aut velle, aut perficere; neutiquam enim Deus hîc aut credit, aut ſperat, aut diligit; [quamvis faciat ut hæc omnia faciamus] ſunt hæc quippe ſolius hominis opera. Hoc ergo illud eſt, quod controvertitur, An non Deus in opere converſionis ſua gratia adeo efficaciter moveat voluntatem

Deus non credit, ſed voluntas.

Quid hic controvertatur.

luntatem, ut hac posita, semper certitudine *causalitatis*, ipsum velle in opere conversionis, & in opere quovis pio operetur? an potius omnis efficacia gratiæ ex solo eventu sit metienda? Hisce præmissis, nos dicimus gratiam efficacem, quæ operatur velle & perficere, adeo potenter in opere conversionis, & quovis opere salutari voluntatem movere, ut certo causaliter tollat, non *resistibilitatem* aut *connatam* aut *adnatam*, aut etiam omnem *actualem resistentiam*, sed *actualem resistentiam vincentem*; adeo ut gratia semper eliciat consensum & acceptationem: ac proinde eo momento impossibile sit, quod voluntas non annuat, aut de facto resistat. Hoc demonstraturi sumus, & una eademque

demque opera oppoſitam Remonſtrantium ſententiam impugnaturi ex ipſo contextu & *Auguſtino*; non tam freti ejus auctoritate, quam rationibus in ſacra Scriptura ſolidiſſime fundatis.

Nam 1. dicit Apoſtolus, 1. Ratio. *operamini ſalutem veſtram cum metu & tremore, quia Deus operatur in vobis hoc ipſum*, τὸ θέλειν καὶ ἐνεργεῖν, *ipſum velle & perficere*: non ait *poſſe velle*, & *poſſe* tantum *perficere*, quod æque facile dixiſſe poterat, ſi non plus quam nudum *poſſe velle*, Deum operari voluiſſet.

Pelagius in lib. 3. pro lib. arbit. referente *Aug.* hæc tria diſtinguebat. Locamus (inquit)

poſſe—in natura; hoc ad Deum proprie pertinere.

velle

{*velle*--in arbitrio ~ *velle* &
{*esse*—in effectu } *esse* ad
hominem voluit pertinere.

Et de *posse* (inquit) solum differitur. Solam enim possibilitatem voluntatis credebat
Ibid.c.25. divino adjuvari auxilio. *Aug.* huic *Pelagii* assertioni hunc nostrum textum opponit: *Non ait Apostolus Deus est qui operatur in vobis posse, sed Deus est qui operatur in vobis velle & perficere.* Et cap. 25. *Desinat Pelagius dicere, quod possumus omne bonum facere, dicere, cogitare; illius est, qui hoc posse donavit: quod vero bene vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus, nostrum est: Desinat (inquam) ista dicere: non enim solum Deus posse nostrum donavit, atque adjuvat, sed etiam velle & operari operatur in nobis. Non quod nos non volumus, sed quia sine*

ſine ejus adjutorio non volumus.

Dices, *Pelagium* non agnoviſſe prævenientem gratiam, ſed tantum legem & doctrinam & externam revelationem Euangelii, non autem gratiam internam excitantem intellectum & voluntatem. *Obj.*

Sol. Contrà *Pelagius* agnovit illuminationem intellectus, & internam excitationem voluntatis ſtupentis, ut poſſit velle, ſed quia eam negavit, qua Deus efficeret, ut velimus, *hinc* (inquit *Auguſtinus*) *nos iſtam gratiam nolumus; Iſtam aliquando gratiam fateatur, qua futuræ gloriæ magnitudo non ſolum promittitur, verum etiam creditur & ſperatur; nec ſolũ revelatur ſapientia, ſed & amatur, nec ſuadetur ſolũ omne qd. bonum eſt, verum & perſuadetur. Hanc debet* Pelagius *gratiam* *Sol.* *Aug. ibid. cap. 10.*

confiteri, si vult non solũ vocari, verumetiam esse Christianus. Hinc etiam liquet *August.* exigere ad conversionem & bona opera gratiam ejusmodi, quæ non solum dat posse velle, sed quæ efficienter actum volendi re-ipsa eliciat.

Ibid. c. 47. Et cap. 47. *Si consenserit nobis* [Pelagius] *non solum possibilitatem in homine, sed ipsam quoque voluntatem, & actionem* (i.) *ut bene velimus, & bene agamus divinitus adjuvari—ut sine illo adjutorio nihil bene velimus, & agamus, eamque esse gratiam Dei per Iesum Christum —nihil de adjutorio gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos controversiæ relinquetur.* Hæc *Aug.*

Neq; hic somniandum est, adjutorium hoc (quam gratiam Dei per Jesum Christum appellat *August.*) nihil aliud denotare,

denotare, quam *Monitricem illam gratiam* quæ *Pelagio* non diſplicuit, aut *univerſalem omnibus & ſingulis Aſſiſtentem*, quæ *Arminio* arriſit; ſed illam potius, quæ *dat animæ ſpirituale quoddam eſſe, & divinum*; quæ ſe habet ad animam, ſicut ſanitas ad corpus, quæ habet ſubjacentem ſibi liberi arbitrii poteſtatem: uno verbo, quæ primum ipſam bonam voluntatem operatur, deinde per eam operatur, ut ſcite *Hugo* de Sacrament: lib. 1. par. 6. cap. 17. quo fit propter quod datur. *Auguſt. de Correp. & Gratia cap.* 12. Vide etiam *Aug.* Ep. 143. & Enchirid. cap. 33. Et Concil. Milev. can. 4. Et Arauſ. can. 5. & 6.

Aquin. qq. diſp. de verit. q. xxvii. art. 2. ad 7. Tertul. de anima.

Ex hiſce liquet, *Pelagium* agnoviſſe internam prævenientem gratiam, qua ſemper

ad *posse velle* adjuvatur homo, non minus quam Remonstrantes. At *August.* toto fere hoc libro de gratia Christi, & in lib. de natura & gratia, in hac non acquiescit; sed insuper exigit gratiam, quæ tribuat *velle* & *agere* bonum.

2. Ratio. 2. Quomodo inculcat Apostolus *operari salutem nostram*, hoc argumento, quod Deus operatur *velle*, si non Deus prius natura operetur *velle*, quam nos operemur salutem? Hinc *August.* *Certum est nos velle, cum volumus, sed ille facit, ut velimus bonum... Certum est nos facere cum facimus, sed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati.* Et de bono perseverant. *Nos ergo volumus, sed Deus in nobis operatur & velle; Nos ergo operamur, sed Deus in nobis operatur*

August. de Grat. & l. arbit. c. 16.

Et de bono perseverant cap. 13.

tur & operari. Deus ergo juxta Apoſtolum & *Auguſtinum*, operatur in nobis non *poſſe velle* tantum, ſed ut *actu velimus*; idque præbendo vires efficaciſſimas voluntati. Quod clare definitum eſt Concil. Arauſ. can. 17. & 20.

3. Quorſum tam ſolicite monet Apoſtolus de *modo* operandi, ut *cum metu & tremore operemur ſalutem noſtram, quia Deus operatur velle & perficere*; ſiquidem Deus non operatur niſi *poſſe velle*, Nos autem ipſum *velle* & *perficere*? Quare non potius dixiſſet, cum fiducia & ſecuritate operamini ſalutem veſtram: penes enim vos eſt totum illud actu *velle* & *perficere*, cum Deus nemini mortalium deſit, ſed omnibus largiatur gratiam ſufficientem (ut paſſim do- 3. *Ratio.*

cent Remonſtrantes) qua poſſint velle?

4. Ratio. 4. Si in opere converſionis Deus operatur tantum *poſſe convertere*, & ſola voluntas det ipſum *velle convertere*, tum in operanda converſione & ſalute potiores partes erunt voluntatis, quam gratiæ; hominis, quam Dei: ſiquidem potiores partes ejus ſunt qui dat *operari*, quam ejus, qui ſolum dat *poſſe operari*; cum operari ſit actus atque adeo prior & perfectior potentia; & operatio ſit complementum & perfectio operantis, ut docent Metaphyſici: ut enim intelligere actu potius eſt & perfectius, quam poſſe intelligere, ita & velle in actu perfectius eſt quiddam, quam poſſe velle. Videte *Bradwardinum*, fol. 235.

Bradward. de cauſa Dei contra Pelagianos.

Porro,

Porro, majoris virtutis eſt illud principium quod dat ipſum *operari*, quam id quod tribuit ſolum *poſſe operari* : eſt enim actus ſecundus nobilior, quam actus primus, vel habitus; præſertim in *ſpiritualibus* & *moralibus*, quæ praxin reſpiciunt ; cum habitus tales ſint propter actus, & ordinentur ad actus, tanquam ad finem.

Dices habitum eſſe præſtantiorem ſuo actu, cum cauſa ſit actus; cauſa enim eſt ſuo effectu præſtantior. *Ob.*

Reſp. Hinc non ſequi habitum eſſe ſimpliciter perfectiorem actu, ſed ſolum ſecundum quid : habitus enim non eſt cauſa principalis iſtius actus, ſed inſtrumentalis : cauſa autem inſtrumentalis non neceſſe eſt ut ſit ſuo effectu

perfectior, præsertim ubi effectus sit finis, ad quem ipsa causa ordinatur.

Cum ergo actus secundus sit simpliciter perfectior & nobilior, quam habitus; & *velle convertere* erit nobilius; quam solummodo *posse convertere*: adeoque a Deo erit hoc *velle convertere*: cum in opere conversionis (opere longe maximo) primas partes Deo deberi, & Scriptura, & recta ratio & dictent, & suadeant.

Augusti de corrept. & grat. c. 11. Hinc est quod *Augustin.* contendat gratiam per Christum collatam esse majorem & potentiorem, quam fuit illa, quæ homini integro est collata, quia *illa dat velle quod posset, hæc autem non nisi posse quod vellet.*

5. Ratio. 5. Hoc amplius ex eo demonstra-

monſtratur, quod cum ex ſententia *Remonſtrantium* revera Deus tantum operetur *poſſe*, & homo ipſum velle; ſequetur non Deum per gratiam, ſed hominem per liberum arbitrium eſſe principalem cauſam & authorem ipſius *creditionis* ac *converſionis*; ſiquidem poſt omnes gratiæ operationes, voluntas non habet a gratia, niſi ut ſit potens convertere; voluntas ſcilicet viribus gratiæ non niſi ad medium quendam æquilibrii ſtatum attollitur, & liberam & indifferentem in utramque partem propenſionem adipiſcitur. Quod autem ad actum credendi, hoc tantummodo concurrit, non *principaliter* aut *prædominanter*, ſed ſolummodo *concomitanter* & *contingenter* operatur, nempe ſub

hac conditione, ſi voluntas ex æquilibrio ſe prius *ſuâ vi naturali* dimoverit; quod ergo minus eſt, voluntas accipit à Deo, nimirum, ut *poſſit velle, poſſit credere, poſſit convertere*; quod autem majus eſt, & ipſum eventum ſpecificat, ſibi ex ſe præſtat ipſa voluntas, nempe ut *actu velit, credat, convertat*, Deoque vocanti annuat & conſentiat. Hoc argumento utitur *Auguſtinus* contra *Pelagium*. *Si nobis* (inquit) *libera quædam voluntas ex Deo eſt, quæ adhuc poteſt eſſe vel bona vel mala; bona vero voluntas ex nobis ſit, melius eſt id, quod à nobis, quàm quod ab illo; quod non niſi abſurdiſſime dici poſſe*, fidenter ibidem pronunciat *Auguſtinus*.

Auguſt. de peccat. merit. & remiſſ. lib. 2. cap. 18.

6. Ratio. 6. Si Deus non operetur, niſi *poſſe velle convertere*, ipſa vo-

voluntas ſolummodo ut *velit convertere*, non majus auxilium confert gratia efficax *Petro* convertenti, quàm *Judæ* non convertenti, ac proinde *Petrus* ſe diſcernit à *Juda* per aliquod proprium, quod non accepit ab auxilio gratiæ; conſequens eſt contra Apoſtolum: *Quis te diſcernit?* 1 Cor. 4. 7.

Sequela probatur; nam *Petrus* & *Judas* non diſcernuntur realiter per gratiam, quam acceperunt antecedēter ad liberam cooperationem voluntatis: quia neuter accipit aliam gratiam, quàm *poſſe velle convertere*: in iis, autem, quæ communiter, & ex æquo recipiunt, non diſcernuntur. Ergo diſcernuntur, quia *Petrus* voluit uti tali auxilio ex innata ſibi libertate, *Judas* vero noluit: adeoque diſcretio & differen-

differentia ultimatim reducitur in liberam utriusque cooperationem pro innata sua libertate. Unde invictissime sequetur, *Petrum* convertentem posse in veritate in hunc modum coram Deo gloriari. *Domine gratias ago tibi* (verbis utar eruditissimi *Bannez*, quibus aliquoties usus sum, nec piget repetere, cum nervose impugnent, vel potius expugnent hostes veritatis & gratiæ inimicos) *quod supernaturale auxilium mihi misericorditer contuleris, nempe posse velle convertere: at vero simile aequaleque auxilium condiscipulo* Judæ *contuliſti, sed ego superaddidi, quod tu mihi supernaturaliter non dediſti, scilicet, velle convertere; cumq; non amplius receperim, quàm ille, tamen ego amplius effeci,*

Bannez in 2. 2æ q. 10 art. 1. documen. 30.

quam

" *quam ille, cum jam juſtificatus*
" *evadam, & ille in peccato per-*
" *maneat; itaque non amplius*
" *tibi, tuæque gratiæ debeo,*
" *quam iſte Iudas, qui non eſt*
" *converſus. Hoc autem Chriſtia-*
næ aures audire exhorreſcunt.
(inquit *Banneʒ.*) *Eſſet enim*
maxima ſuperbia ita ſentire, &
maxima blaſphemia ita loqui. *Ibid.*
Sic enim veraciſſime dicere potuit *Petrus*, contra quam habet Apoſtolus; *ego me diſcerno*, quia ſuperaddidi *velle bene uti divino auxilio*; quod ſi hæc loqui horreamus, utpote plane Pelagiana: certe invictiſſime ſequitur *Petrum* accepiſſe à Deo non ſolum *poſſe velle convertere*, ſed ipſum *bonum velle*, ipſam *bonam voluntatem*, ipſam *electionem*, *acceptationem*, *conſenſum* voluntatis, nec gratiam tantum communem,

ſed

ſed gratiam *eminenter diſcriminatricem*. Hoc argumentum late perſequitur *Auguſt.* lib. de prædeſtin. Sanct. c. 5.

Jam ſi cauſam quæramus, unde in *Petro* originem habeat hoc ipſum velle accipere gratiam, recte ab *Aquinate* reſpondetur: Hoc ipſum velle accipere gratiam eſt ex prædeſtinatione divina. *Aqui.* quæſt. diſp. de præd. art. 2. Si autem quæratur unde eveniat, quod *Petrus* infallibiliter perſeverare velit in gratia accepta, cauſam hanc reddit *Auguſt.* *Quia Deus ſic in poteſtate ſua habet cor noſtrum, ut bonum, quod non tenemus, niſi propria voluntate, non tamen teneamus, niſi ipſe in nobis operetur & velle.*

Aquin. qq. Diſp. de verit. q. vi. art. 2. 11.

De bono perſever. cap. 23.

Huc ſpectat non abſimile exemplum, quo utitur *Brad-*

war-

wardinus noſter, gratiæ Dei ſtrenuiſſimus aſſertor, ut oſtendat Deum non dare tantum poſſe velle, ſed & ipſum velle, ut ita omni gloriationi via præcludatur. *Si filius* (inquit) *miles, acceptis à patre naturalibus, ordine, atque armis, ſtrenuè militaret, ſicque forſitan in ſuperbia erigeretur inflatus, quomodo in ipſo eradicaretur ſuperbia, & plantaretur humilitas, ſi ei ab aliquo diceretur non glorietur omnis miles in conſpectu patris ſui, ex ipſo enim eſt in militia, ut qui gloriatur, in patre ſuo glorietur, & quid habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? Poſſet enim rationabiliter reſpondere dicendo, quare non deberem de mea militia gloriari? Accepi quidem a patre meo naturalia, quia nullus generat ſemetipſum,*

Bradward. de cauſa Dei lib. 2 c. 23. fol. 562.

ipſum, accepi & ordinem, quia nulli conceditur inſignire tali ordine ſemetipſum, accepi & arma, quia, ſimiliter ut cæteri militum non naſcebar armatus, nec ſum faber armorum, debitum tamen uſum eorum, qui omnibus prævalet, non accepi ab alio, ſed habui ex meipſo: actus ſtrenuos militares non accepi ab alio, ſed habui ex meipſo, crebras victorias fama celebri divulgatas non accepi ab alio, ſed habui ex meipſo, pro hujuſmodi igitur in meipſo merito gloriabor, in alio autem nihil, ſic & de quolibet milite I. Chriſti. Hæc *Bradward.* Prætermittere non poſſum illud *Auguſt.* Enchirid. cap. 98. *Altiſſimo ac ſaluberrimo ſacramento univerſa facies, ac, ut ita dixerim, vultus ſanctarum Scripturarum bene intuentes id admonere invenitur, ut,* qui gloria-

gloriatur, in Domino glorietur.

Dices *Arminium* & *Remonſtrantes* omni gloriationi viam præcludere, ſiquidem gratiæ Dei aſcribunt, & fidei, & converſionis initium, continuationem, atque conſummationem, omnis item operis boni, eo uſque, ut homo jam regeneratus ſine hac præveniente, & excitante, ſequente, & cooperante gratiâ, bonum prorſus neque cogitare velle, aut facere poſſit, ac ne quidem ulli tentationi malæ reſiſtere. Sic *Arminius* in declar. Sic Remonſtrant. in confeſſ. c. 17. de vocatione, & in Col. Hagienſi.

Reſp. Ubi eminus de gratia loquuntur ſpecioſa aſpergunt elogia, ubi vero cominus ac punctim de gratiæ ipſius confli-

conflictu agitur, nervos ipsos succidunt, & vim gratiæ victricem tollunt. Si enim quęramus, quodnam sit illud principium & *initium* fidei & conversionis, & omnis boni quod gratiæ ascribunt, quænam *continuatio*, quænam *consummatio* & *complementum*; totum illud consistit in eo ex illorum placitis, quod à gratia habeamus *posse credere*, & *posse convertere*, *posse continuare*, *posse consummare*, *suasiones* item *lenes* & *invitationes* quæ allicient ad conversionem, ad fidem & ejusdem continuationem & consummationem; sed ipsum *bonum usum*, *accommodationem*, & *applicationem* hujus *posse*, ipsum bonum *velle*, ipsum *velle credere*, *velle convertere*, *velle continuare* bonum aliquod, *velle consummare*, ipsam *electionem*,

onem, acceptationem, consensum, determinationem voluntatis in toto hoc salutis negotio, à sola voluntate tali gratia præventa elici volunt. At quis non videt amplam satis gloriandi materiam supereſſe homini, si nihil aliud præstet gratia in actu conversionis eliciendo, & in toto negotio salutis promovendo, & perficiendo. Quis non videt in casu supra posito, totum discrimen positivum ex *Petri* libero arbitrio, *Petri* scil: *libera acceptatione*, & *electione* ultimatim desumendum esse? quo posito, sequetur *Petrum* non majus beneficium à Deo accepisse, quam *Iudam*; ac proinde non magis teneri ad gratitudinem & gratiarum actionē; ac veraciter dicere posse, se non magis Deo debere in to-

to

to hoc salutis negotio, quam *Iudam* proditorem; *sanctissimum*, quam *sceleratissimum*; *regnantem in cœlis*, quam *ardentem in gehenna*; quod quam sit inconveniens supra docuimus. Et quamvis Spalatensis, ut minime absurda hæc omnia in ordinariis hominibus admittat; vereor tamen an quisquam admittere possit, qui non *Semipelagianismi*, vel potius *Pelagianismi* succum penitus imbiberit. Nec dici potest, *Petrum* ideo accepisse majus beneficium, quam *Iudas*, quod habeat gratiam adjuvantem per modum concursus, quam *Iudas* non habet. Nam præterquam quod *Petrus* sua acceptatione sese à *Iuda* antecedenter discrevit ad gratiæ *adjuvantis* cooperationem; hæc ipsa gratia *adjuvans*

Spalatens. lib. 7. de Repub. Eccles. c. xi. n. 122.

vans æque parata eſt ex eorum hypotheſi *Iudæ* atque *Petro*, ac proinde hac ex parte æquale eſt beneficium, cum ex æquo utriſque paretur, & offeratur.

7. Ex ipſo Apoſtoli contextu liquet *Deum*, magis operari ipſum *velle*, quam *hominem*. κατ' ἐξοχὴν enim, & per quandam excellentiam dicitur *Deus* operari & *velle* & *perficere* pro ſua voluntate, quomodo non operatur *homo*; *hominem* vero ita operari ait, nt non niſi *cum metu & tremore operari* debeat, eo quod vires operandi aliunde, & non niſi à Deo habeat. Ergo proculdubio is ſenſus longe ab Apoſtoli ſenſu abhorret, quo efficienter *actu velle* tantummodo *homini*, *Deo* & gratiæ efficacitati tantummodo *poſſe* *velle* 7. Ratio.

velle indigniſſime aſcribitur. Quanto rectius *Auguſtin.* qui crebro dicit, opera noſtra magis dicenda eſſe opera *Dei*, quam opera hominis : ſic lib. de Continent. cap. 13. agens de bonis operibus : *ſunt* (inquit) *alia opera hominis quæ magis dicenda ſunt opera Dei. Deus eſt enim* (*inquit Apoſtolus*) *qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate.* Et alibi Deo ingenue confitetur (in Pſal. 137.) *quæcunque ſunt* (inquit) *bona opera mea, abs te mihi ſunt, & ideo tua magis quam mea ſunt.* Hoc autem non vere diceretur, ſi *Deus* non operetur plus quam *poſſe velle*, & *poſſe operari*, & plus quam *gratiam offerendo*, aut ad illam tantummodo *invitando*. Imo ex hoc loco evincitur, opera noſtra bona non tantum magis

Auguſt. de Continent. cap. 13.

Idem in Pſal. 137.

gis dicenda eſſe opera Dei quam noſtra, ſed ſi qua ſit, totam bonitatem, dignitatem, excellentiam noſtrorum operum ſoli Deo tribuẽdam eſſe; *Deus enim eſt qui dat velle, & qui dat perficere.* A Deo igitur boni operis initium, progreſſus, conſummatio, ſive partes priores, ſive partes poſteriores, ſive initium à cogitatione, ſive progreſſum in voluntate, ſive conſummationem in opere reſpiciamus.

Sine me (inquit Servator) *nihil poteſtis facere*; ergo non operis partem: *quid habes quod non accepiſti?* Phil. 2. *qui cæpit in vobis bonum opus, ille etiam perficiet.* Joan. 15. 5 Philip. 2.

Legimus *Num.* 17. virgam *Aaronis* primum germinâſſe, deinde floruiſſe, poſtremo fructus protuliſſe: Quæ tria in

in ligno arido & totidem miracula fuerunt; en figuram operum noſtrorum bonorum, quæ ſive facienda primo cogitantur, ſive facienda decernuntur, ſive opere perficiuntur, totum hoc quantumcunque eſt, gratiæ & bonitati Dei eſt aſcribendum.

Hujus etiam rei veritatis proteſtationem continebat *ritus holocauſti*; quod homo totum & omne bonum ſuum, quicquid eſſet, & haberet, accepit à Deo, cui proinde per hujuſmodi ſacrificium cum recognitione & gratiarum actione totum Deo redderet: nam propterea totum illud ſacrificium, nulla ejus parte reſervata, igne conſumi debebat in honorem Dei. Offert ergo ſpirituale holocauſtum Deo, qui totum bonum ſuum

Levit. 1.

Deo

Deo acceptum referens, totum ei reddit, *ſiquidem omnia bona ad authorem ſuum referenda*, inquit *Cæleſtinus* in Epiſt. ad Epiſcopos Galliæ cap. 8. *Cæleſtin. Epiſt. ad Gallos cap. 8.*

Idem *Cæleſtinus* ibid. cap. 11. ubi agit de converſione infidelium—quod adeo totum (inquit) divini operis eſſe ſentitur, ut *hæc efficienti Deo gratiarum ſemper actio, landiſq; confeſſio pro illuminatione talium, vel correctione referatur*; Et patres Arauſicani Can. 20. *Nulla facit homo bona, quæ non Deus præſtet, ut faciat homo.* Et Can. 22. *Nemo habet de ſuo, niſi peccatum & mendacium.* Et Can. ult. *Nemo habet quicquam boni, niſi datum ei fuerit deſuper.* *Idem. Ibid. cap. 11.* *concil. Arauſ. can. xx. can. xxj.*

Præclare *Auguſtinus* de prædeſtinat. Sanctorum ubi de *Cornelio* agit. *Quicquid &* *Auguſt. de prædeſt. Sanct. c. 7.*

antequam in Christum crederet, & cum crederet, & cum credidisset bene operatus est, totum Deo dandum, ne quis extollatur. Et de bono perseveran. ad imitationem *Cypriani*, sic scribit: *Hoc nobis expedit & credere & discere, hoc est primum, hoc verum, ut sit humilis & submissa confessio, ut detur totum Deo.*

De bono persev. c. 13

Recte etiam in hanc sententiam, *Prosper.* contr. *Collat. Non est devotionis* (inquit) *dedisse prope totum* [nota prope totum] *sed fraudis retinuisse vel minimum.* Sententia notanda contra eos, qui quærunt vel exiguum aliquid in opere conversionis, aut quovis opere bono, quod libero arbitrio faciant proprium, sibique ipsis arrogent.

Prosp. cont. Collat. c. ult.

Hisce tamen & similibus sententiis crebro apud Sanctos

ctos Patres occurrentibus, non ſignificatur prorſus nihil agere liberum arbitrium (cujus quæ partes, qualis actio, ſupra diximus) ſed omnem bonum liberi arbitrii uſum (quem in virtutibus & magnis bonis numerat *Auguſtinus* Retract. lib. 1. cap. 9.) Dei gratiæ & miſericordiæ acceptum referendum.

Optime *Bonaventur. Vere humiles totum reddunt Deo, à quo totum habent, quia furti reus eſt, qui ſibi aliquid retinet, cum Deus dicat, gloriam meam alteri non dabo.* Bonavent. de profectu Relig.

8. Deus promiſit ſe nobis daturum non ſolum *poſſe velle convertere*, ſed & ipſum *velle convertere*. *Ezek.* 36. *Faciam ut in præceptis meis ambuletis, ut judicia mea cuſtodiatis.* Ex quo loco ſic argumentamur; 8. Ratio. Ezek. 36.

promissio divina per divinam operationem impletur: ergo si Deus promiserit se velle nos convertere, itidem & ipse hoc ipsum, adhibendo media efficacia, efficaciter facturus est. Cum ergo homo vult pœnitentiam agere, & in Christum credere, ita libere vult, ut, stante divino auxilio, homo infallibiliter velit utrumque; alias potestas Dei in implēdo suo promisso non esset efficax, cum in hominis potestate esset divinam promissionem irritam & inefficacem reddere. At certum est, nostra voluntate nunquam divinæ potestatis efficaciam impediri, aut irritam reddi. Ergo gratiam talem adhibet ad nostram conversionem, quam promisit, perficiendam, quæ dat ipsum *velle convertere*. Hoc argu-

argumento utitur *Auguſt.* lib. de prædeſt. ſanct. cap. 10, 11. ubi affert illud ex Geneſ. 17. ubi promiſit Deus *Abrahæ*, in ſemine ejus fidem gentium, dicens, patrem multarum gentium poſui te; unde dicit Apoſtolus; ideo ex fide, ut ſecundum gratiam firma ſit promiſſio omni ſemini: *hæc non de noſtræ voluntatis poteſtate, ſed de ſua prædeſtinatione promiſit: promiſit enim quod ipſe facturus fuerat, non quod homines; quia etſi faciant homines bona, quæ pertinent ad colendum Deum, ipſe facit, ut illi faciant, quæ præcepit, non illi faciunt, ut ipſe faciat, quod promiſit: alioquin ut Dei promiſſa compleantur, non in Dei, ſed in hominum eſt poteſtate, & quod à Domino promiſſum eſt, ab ipſis redditur Abrahæ.* Hæc *Auguſtinus*: & *Auguſt. de prædeſt. Sanctorum c. 10. & 11*

infra cap. 11. inquit, ideo enim hæc & nobis præcipiuntur, & dona Dei esse monstrantur, ut intelligatur *quod & nos faciamus, & Deus facit, ut illa faciamus, sicut per Prophetam Ezek. dicit : Ego faciam ut faciatis.* Hæc ille.

9. Si Deus operetur tantum *posse convertere*, homo autem ipse ipsum *velle cõvertere*, tum tollitur plane *mysterium* illud inscrutabile & imperveſtigabile *prædestinationis*, & quæstio illa profunda & secundum Apostoli admirationem impenetrabilis, cur, cum multos vocet Deus ad salutem, non eam tamen omnibus gratiam efficacem largiatur, quâ *velint convertere, velint credere, velint perseverare*, quæstio (inquam) illa per *velle* & *nolle* liberi arbitrii facillime

9. Ratio.

me ſolvitur. Cum enim, juxta Remonſtrantes, omnibus vocatis Deus det *poſſe credere*, ipſe vocatus *ex ſe* habeat, ut *actu credat*; quos vocavit prævidet *velle credere* & *perſeverare*, hoſce *eligit* ad ſalutem; quos prævidet non *credere velle*, hoſce *præterit*, ex horum placitis: ſuperflua ergo plane vox illa; ô homo tu quis es, qui reſpondeas Deo? & illa admiratio ejuſdem Apoſtoli; ô altitudo! Ubi igitur myſterium? Hoc eſt argumentum *Auguſtini*, illudque perpendi velim ab *irreſpectivi decreti* impugnatoribus. Rom. 9. 20. 11. 33. *Auguſt. de bono perſev. c. 8. Et ep. 105. & paſſim alibi*

10. Hoc Remonſtrantium dogma non ſolum quaſſat, ſed & plane ſubvertit *fundamentum* gratuitę prędeſtinationis, quam Sanctus *Auguſtin.* (non primus, ut perperam nonnulli volunt, 10. *Ratio.*

volunt, ſed veſtigiis majorum inſiſtens) præ cæteris ſolertiſſime & ſolidiſſime ex Scripturis comprobavit. Inde enim pendet immutabilitas & infallibilitas divinæ prædeſtinationis, quod Deus quibuſdam gratiam efficacem, quâ certo velint & credere & perſeverare, præparavit: quos enim prædeſtinavit, hos vocavit, *vocatione ſc.* (ut docet *Aug.*) *ſecundum propoſitum*, quâ non modo *poſſint credere & perſeverare*, ſed & *velint*; nam qui ſic vocantur, certo & infallibiliter juſtificantur, & qui juſtificantur, glorificantur, ut ibidem Apoſtolus. Unde *Auguſt.* docuit, *Prædeſtinatis, non adjutorium, quo poſſint, ſed ipſam perſeverantiam dari.* Et de *Petro* nominatim, *An audebis* (inquit) *dicere, rogante*

Rom. 8.

gante Christo, ne deficeret fides Petri, defecturam fuisse, si eam Petrus deficere voluisset? De corr. & grat. c. 12. Ibid. c. 8.

Quod si vocatio divina non operetur *ut velint*, tum ejus efficacia non penderet à proposito Dei, sed ab humana voluntate, atque adeo nullus locus *prædestinationi* relinqueretur, sed tantum *præscientiæ & post. destinationi*; quod certe & cum sacris literis & cum *Augustino*, imo cum perpetua Ecclesiæ traditione apertissime pugnat: quæ Dei *prædestinationem*, teste *Aug.* semper prædicavit; quicquid *Iesuitæ* nonnulli, & ex illis hauriens clarissi: *Vossius* in historia Pelagiana contra sentiant.

11. Hanc veritatem Ecclesia Dei ab ipsis edocta est incunabilis; id quod apertissime evincit *Augustinus* ex *ora-* 11. Ratio.

tionibus ſacerdotalibus, quibus ſemper uſa eſt Eccleſia. Ex hiſce enim optime evincitur antiqua Eccleſiæ fides, cum *lex ſupplicandi legem ſtatuat credendi*, ut optime Cæleſtinus. Niſi enim gratia efficax operetur ipſum velle convertere, quid eſt quod *ſanctarum plebium præſules — tota ſecum Eccleſia congemiſcente poſtulant, & precantur*, ut *infidelibus donetur fides*, ut *Idololatræ ab impietatis ſuæ liberentur erroribus*, ut *Iudæis ablato cordis velamine lux veritatis appareat*, ut *Hæretici Catholici fidei perceptione reſipiſcant*, ut *Schiſmatici ſpiritum rediviva charitatis accipiant*, ut *lapſis pœnitentiæ remedia conferantur*, ut *denique Catechumenis, ad regenerationis ſacramenta productis cæleſtis miſericordiæ aula referetur*. Fruſtra enim

Cæleſtinus in ep. ad Gallos. c. 11
Idem Ibid. & Gennad. de Eccleſ. dogmatibus, c. 30.

enim & ſtulte ab alio petimus, quod vel jam habemus, vel quod ſic in noſtra poſitum eſt poteſtate, ut ab alio dandum, ſeu faciendum non expectemus. Sic Auguſtinus, *Quid ſtultius, quam orare ut facias, quod in poteſtate habeas?* Rurſus, *Inaniter & perfunctoriè potius quam veraciter pro eis* [infidelibus] *ut doctrinæ cui adverſantur, credendo conſentiant, Deo fundimus preces, ſi ad ejus non pertinet gratiam convertere ad fidem ſuam, ipſi fidei contrarias voluntates.* Et mox— *Prorſus non oramus Deum, ſed orare nos fingimus, ſi noſipſos, non illum credimus facere quod oramus.* Rurſus—*Labia doloſa ſi in hominum quibuſcunque ſermonibus ſunt, ſaltem in orationibus non ſint. Abſit, ut quod facere Deum rogamus oribus, & voci-*

Auguſt. de nat. & grat. c. 18.

Aug. epiſt. 107. ad Vitalem.

vocibus noſtris, eam facere negemus cordibus noſtris. Et quod eſt gravius, ad alios etiam decipiendos hoc non taceamus diſputationibus noſtris, & dum volumus apud homines defendere liberum arbitrium, apud Deum perdamus orationis auxilium]

Vid. & Aug. de prædeſtin. Sanct. c. 8. 14. 20. & de bono perſev. cap. 27. 21. 23. 24. & ep. 95.

Hæc graviſſime Auguſt. Porro, petit Eccleſia non ſolum *poßibilitatem* converſionis, aut *gratiæ oblationem*, aut etiam *nudam invitationem*, aut *ſuaſionem*, aut nobis inchoantibus *cooperationem* in actu converſionis, ſed ipſam *bonam voluntatem*, ipſam *electionem*, *determinationem*, *acceptationem*, atque ipſum *velle credere & convertere*, aut ut Auguſtini verbis enuntiem, ut *voluntas corrigatur*, *doctrinæ conſentiatur*, *natura ſanetur*. Ergo ad hæc

Ibid.

omnia extenditur gratia efficax.

cax.—Extant in hanc ſententiam multa in antiquis Liturgiis. Auguſtinus alloquens Vitalem ad partes Pelagii ex parte inclinantem, ſic habet, *Nunquid & orare prohibebis Eccleſiam pro infidelibus*, ut *ſint fideles; pro iis qui nolunt credere, ut velint credere; pro iis qui ab ejus lege doctrinaque diſſentiunt, ut legi ejus doctrinæque conſentiant, ut det illis Deus quod per Prophetam promiſit, cor cognoſcendi eum*, & *aures audiendi, quas utique acceperant?*—*Numquid ubi audiveris ſacerdotem Dei adejus altare populum hortantem ad Deum orandum, vel ipſum clara voce orantem*, ut *incredulas gentes ad fidem ſuam venire compellat*, non *reſpondebis, Amen? An etiam hujus fidei ſanitati contraria diſputabis?* Idem. *Auguſtinus*, ubi perſe-

Idem ibid.

veran-

verãtiam Sanctorum esse donum Dei, non liberi arbitrii ex oratione Dominica, & ejusdem explicatione è Cypriano, contra Massilienses eviciſſet, hæc subjungit : *Si ergo alia documenta non essent, hæc Dominica oratio nobis ad causam gratiæ quam defendimus, sola sufficeret : quia nihil nobis reliquit, in quo tanquam in nostro gloriemur. Siquidem & ut non discedamus à Deo, non ostendit dandum esse nisi à Deo, cum poscendum ostendit à Deo. Qui enim non infertur in tentationem, non discedit a Deo.*] Hæc *Augustinus*. Eadem autem est ratio in hac controversia, *perseverantiæ*, atque ipsius *primæ conversionis* & *cujuslibet boni operis*, ut supra annotavimus.

In secreta Dominic. 4. post Pentecost. In oratione Ecclesiæ olim sic habebatur, *Oblationibus nostris, quæsu-*

quæſumus, Domine, placere ſuſceptis, & ad te noſtras etiam rebelles compelle propitius voluntates. Quod non ita intelligendum, quod *reſiſtentem invitumque compellat*; ut recte Proſper, *Sed ex invito volentem facit.* In alia oratione: *Da nobis & velle & poſſe quæ præcipis, ut populo ad æternitatem vocato, una ſit fides mentium, & pietas actionum, per Dominum noſtrum.* In alia, ſic *Deus qui fidelium mentes unius efficis voluntatis, da populis tuis id amare, quod præcipis, id deſiderare, quod promittis.* Hiſce conſona ſunt illa viri pii & nobilis deſumpta ex eiſdem Liturgiis apud Caſſandrum; *Domine duc me quo non volo. Secundum beneplacitum voluntatis tuæ, compelle me vivere in fide per dilectionem efficacem, ut ſal-*

Proſp. cont. Collat. c. 6.

Orat. poſt. Prophetiam 10. ſabbatho Sancto.

Caſſander in libel. de precib. Eccleſ. circa finem.

vus

vus fiam. Meum nolle in tuum velle convertatur. Nec temere hiſce orationum formulis uſa eſt Eccleſia, ſed inde pie prudenterque agnovit, niſi efficax Dei voluntas præcefferit, neminem mortalium efficaciter velle ea, quæ ad propriam ſuam ſalutem ſpectant. Suaviſſime, & veriſſime Gul: Pariſienſis. *Velle meum, Domine miſericordiæ, tale eſt de redeundo ad te, quale eſt & velle tuum de reverſione mea ad te. Si igitur vis perfectum eſſe velle meum, in hoc perfice tuum in eodem. Ego namque velle meum in parte iſta nec perficere, nec adaugere poſſum. Tibi autem præſto eſt perfectum, ac imperioſiſſimum velle tuum. A te igitur incipe perfectionem hujuſmodi, & tuum erit mihi velle perfectum, & completa juſtificatio.*

Guiel. Pariſienſ. de Rhetoric. divina. cap. 14.

Addo

Addo etiam Auguſtinum ex hiſce Eccleſiæ orationibus inferre dogma de gratuita prædeſtinatione, ſemper in Eccleſia, ex quo eſſe cæpit, prædicatum fuiſſe, ſic enim ille. *Ille itaque dicat Eccleſiam aliquando in fide ſua non habuiſſe veritatem prædeſtinationis huius & gratiæ, quæ nunc contra novos hæreticos cura diligentiori defenditur. Ille, inquam, hoc dicat, qui dicere audet; aliquando eam non oraſſe, vel non veraciter oraſſe, ſive ut crederẽt infideles, ſive ut perſeverarent, nec ab illo ſẽper cognita unquã ei negare fas fuit. Ac per hoc prædeſtinationis huius fidẽ quæ cõtra novos hæreticos nova ſolicitudine nunc defenditur, nunquã Eccleſia Chriſti non habuit.*] Hæc Auguſt. Ex quo conſtat, dogma de prædeſtinatione gratuita non fuiſſe

isse novellum Augustini additamentum.

12. Ratio. Aug. ibid.

12. Eandem veritatem evincit *Aug.* ex *gratiarum actione*, quam Deo reddunt fideles pro sua & aliorum conversione per gratiam ipsius efficacem; non tantum pro possibilitate convertendi. Per hanc enim confitentur divini muneris esse totum illud, pro quo gratias agunt. *Inaniter & perfunctoriè potius quam veraciter* (inquit *Augustinus*) *magnas cum exultatione agimus Deo gratias, quando aliqui eorum* [infidelium] *credunt, si hoc in iis ipse non facit. Non fallamus homines, nam Deum fallere non valemus.* Et mox. *Prorsus non gratias Deo agimus, sed nos agere fingimus, si unde illi gratias agimus, ipsum facere non putamus.* Et alibi explicans vers. 16. cap. 1.

Aug. de prædestin. Sanct. c. 1.

16. cap. 1. ad Epheſ. *Nova erat & recens eorum fides prædicato ſibi euangelio, qua fide audita, gratias Deo pro eis agit Apoſtolus. Si homini gratias ageret pro eo, quod illum vel putaret non præſtitiſſe, vel nôſſet, adulatio, vel irriſio verius quam gratiarum actio diceretur. Non eremus, Deus non irridetur: donum enim ejus eſt, etiam incipiēs fides, ne Apoſtoli falſa, vel falſarum gloriarum gratiarum actio merito iudicetur.* Et mox explicans 1. Epheſ. 2. *Quid eſt, quod hic Deo gratias agit? Nempe vanum eſt atque inane, ſi cui gratias agit de hoc, quod ipſe non fecit. Sed quia hoc vanum & inane non eſt, profecto Deus, cui de hoc opere gratias agit, ipſe fecit:* de prædeſt. ſanct. cap. 19. Quod ſi Remonſtrantium hypotheſin admittamus, Deum

um tantummodo operari in nobis illam præveniẽtem gratiam, qua *posſimus convertere*, non autem *ipſum convertere*, ſequetur, proprie & præciſe loquendo, nos non teneri gratias Deo agere niſi pro *poſſibilitatibus*, pro *converſionis* ſc. *poſsibilitate*, non pro *ipſa converſione*, non pro *iuſtificatione*, non pro *adoptione*, non pro *regeneratione*, non pro *perſeverantia*, non pro *vita æterna*; multo minus pro *prædeſtinatione ad vitam*, pro quibus omnibus tamen gratias Deo frequentes agit Apoſtolus ad Epheſ. 1. & ſæpe alibi. Videtis *in quanta ſe abrupta præcipitent metuentes retia veritatis*, quod *Auguſt.* olim de Pelagianis.

Sentio me (ſpectatiſſimi Academici) nimium abuſum patientia veſtra; ſed cauſa

Dei

Dei propugnanda erat contra iſtos importunos non defenſores, *ſed deceptores, ſed inflatores, ſed præcipitatores liberi arbitrii*, ut appellat *Auguſt.* qui *dum homines liberos eſſe volunt, faciunt ſacrilegos*, quod *Aug. de Cicerone* pronunciat, & rectiſſime de hiſce pronuntiatur.

Hæc habui dicenda de hoc loco Apoſtoli, quem aliis negotiis implicatus ſero tandem in manus ſumpſi.

Quod ſupereſt, hortor juniores Theologos, ut *Aug.* polemica contra *Pelagianos* & *Semi-Pelagianos* ſcripta diligentius evolvant; præſertim illa, quæ omnium poſtrema contra *Maſſilienſes* ad inſtantiam *Proſperi* & *Hilarii* jam ſenex elaboravit, libros nempe de prædeſtinatione ſanctorũ,

&

& bono perſever. Eoque magis hortor, quod omnia fere argumenta, quibus ille in iſtis libris *Maſſilienſes*, reliquias Pelagianæ hæreſis confodit, rectiſſime in *Arminium* & *Remonſtrantes* intorqueri poſſe in hac cauſa ſtudioſus lector facile perſpiciat.

Illud etiam vere adjicere poſſum, plus uni *Auguſtino* jam veterano, & in iſta cauſa verſatiſſimo tribuendum eſſe, quam centum *Corvinis*, *Grotiis*, *Vorſtiis*, *Bertiis*, *Tilenis*, & id genus recentioribus dogmatiſtis. Accedat & illud Coronidis loco, *Auguſtino* ſemper adhæſiſſe hac ex parte Eccleſiam univerſalem ab ejus temporibus, Eccleſiam item Anglicanam ab initio reformationis, & celeberrimam hanc noſtram Academiam, omneſque,

que, qui exinde apud nos Theologiæ cathedras occuparunt, ſi unum excipiamus *exoticum Gallum, unum, inquam, qui vigilantia majorum noſtrorum, & authoritate ampliſſima Reverēdiſſimi Archiepiſcopi *Whitgifti* cathedræ ſuæ renunciare coactus eſt. Vigilate ergo, ſtate in fide: viriliter agite, & confortamini: & Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti erit vobiſcum. *Amen.*

*Pet. Baronem Stempanum, qui ante exactū biennium ſuæ profeſſioni renuntiavit, veritus, ne cum juxta Dnæ. Margaretæ fundatricis eius ſtatutū expleto biennio, electio renovanda eſſet, ipſo repudiato alius eligeretur. Vnde interrogatus a ſuis, cur lectuæ ſuæ renunciaſſet: Reſpondit, ſe feciſſe, quod ſervi nequam ſolent, fugiebam (inquit) ne fugarer.

FINIS.